

Ann. II.

Num. XIII.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Pretium annuae subnotationis, *ante solvendum*, in Italia est Libellarum 10;
ubique extra Italianam Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 $\frac{1}{2}$.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis
Lib. 0.50 pro unoquoque centimetro quadrato.

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem
ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN ITALIA

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.
ROMAE, Via Santa Chiara, 20-21.

IN ANGLIA

Apud BURNS AND OATES
LONDON W. — 28, Orchard Street.

IN CIVITATIBUS FOEDERATIS AMERICAE SEPTENT.

Apud COMMISSIONAT OF THE HOLY LAND.
NEW YORK, 143 w 95th St.

IN CANADA

ET NEWFOUNDLAND
NEW YORK (U. S. Americ.), 143 w 95th St.

IN BELGICA

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.
BRUXELLES, Rue de la Montagne, 52.

LUGDUNI

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.
Rue Victor Hugo, 5

LUTETIAE PARISIORUM

LIBRAIRIE VIC ET AMAT
CHARLES AMAT SUCC.

IN GALLIA

Rue Cassette, II.

INSULS (LILLE)

Apud DESCLÉE, LEFEBVRE ET SOC.

C. B. LIPTAY, CORRESP. DE HONGRIE

IN HUNGARIA

BUDAPEST, Palais du Théâtre National.

RERUM INDEX

IN IOANNEM BAPTISTAM GROSSUM PRAEPOSITUM CURIAE IOANNIANAE BRAIDENSIMUM APUD SUBALPINOS ANNUM XXV SACRI MUNERIS AGENTEM ..	I. B. Gandinus.
EX SINENSIMUM IMPERATORIS RECENTI DECRETO QUAEDAM COGITATE INFERNUNTUR ..	Eucalyptus.
DE DRAMATIBUS EMENDANDIS ..	I. Antonelli.
VETERES ATHENAEORUM MORES ..	A. Costaggini.
IN FESTUM SANCTI PETRI APOSTOLI ..	F. X. Reuss.
FERREUM ITER TRANSIBERIANUM ..	A. Luzzani.
DE MEMORIIS APOSTOLORUM PETRI ET PAULI IN URBE ROMA ..	H. Marucchi.
DE SERICIS TEXTILIBUS ARTE CONFECTIS ..	Laelius.
PETRUS PARENZO ..	A. Fumi.
DE CONSISTORIO ..	H. D. V. Pieralice.
NUMEN ubi? ..	A. Basili.
CAROLUS NOCELLA PATRIARCHATUS ANTIOCHENI TITULO DECORATUS ..	F. Pellegrini.
ANNALES ..	Poplicola.
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS ..	Scriba.
LIBRORUM RECENSIO ..	I. F.
AENIGMATA ..	Digamma.

In tertia operculi pagina:

PER ORBEM ..	Viator.
VARIA: Singularis tessera — Deambulatio per aquas — Ferrumne ex paleis? — Londinenses in Britannia — Medici Lutetii Parisiorum —	
Ioci ..	P. d. V.

ROMAE

EX OFFICINA FORZANI ET SOCII

M DCCC XCIX

VOX URBIS DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

ROMAE - Via Alessandrina, 87 - ROMAE

MONITUM

*Eorum omnium, qui in posterum inter commentarii socios
recenseri volent, subnotatio fieri potest ab hisce kalendis Iuliis.*

COMMENTARII RECENS DONO ACCEPTI

L' amico della gioventù. Singulis hebdomadis prodit. Verona.
Atene e Roma. Commentarius cura Italae Societatis ad litterarum studia vulganda editus. Florentiae-Romae.
Bessarione. Recensio periodica studiorum orientalium. Romae.
Bollettino del museo civico di Padova. Catholicum. Comm. menstruum de iis quae in Ecclesia catholica peraguntur. Romae.
La Croce. Singulis hebdomadis prodit. Neapoli.
Divus Thomas. Commentarium inserviens Academis et Lyceis scholasticam sectantibus. Placentiae.
Emporium. Recensio menstrua litterarum et artium. Bergomi.
Ephemerides Liturgicae. Singulis mensibus Romae prouident cura Congr. Vincentianae. Quaestiones liturgicas, sive quod proximi spectat, tractant; et Decreta S. Rituum Congreg., opportunis additis commentariis, evulgant. Accedit Appendix continens quaestiones cum Liturgia relationem habentes et Decreta aliarum Congregationum. Recens Pontificis litteris in forma brevis donatae sunt
Giornale Arcadicò di scienze, lettere ed arti. Romae.
Il Marzocco. De litteris et artibus commentarius. Florentiae.
Minerva. Recensionum recensio, moderatore Friderico Garlanda. Romae.
Singulis dominicis diebus prodit, scripta maximi momenti, quae sive in praecipuis commentariis, sive in libris vulgantur, strictim referens.
Nuntius Romanus. Romae.

L'Osservatore Cattolico. Diarium Mediolanense.
Rivista d'Italia. Semel in mense prodit. Romae.
Rivista Internazionale di scienze sociali e discipline auxiliarie. Semel in mense prodit. Romae.
Præter scripta maximi momenti videre in hoc commentario placet librorum commentariorumque recensionem maxime copiosam.
Rivista politica e letteraria. Semel in mense prodit. Romae.
Singulare in commentario hoc id habetur, scripta omnia designari, quae in praecipuis totius orbis ephemeralibus scitū digna vultentur.
Il Santuario di Caravaggio. Caravagii ad Bergomum.
La scuola secondaria italiana. Singulis hebdomadis prodit. Mediolani.
La vera Roma. Singulis hebdomadis prodit. Romae.
Vita Nova. Ephemeris, cura Societatis iuvenum athenaeorum studiis vacantium. Neapolitana.
La Ricreazione. Commentarium; bis in mense prodit. Tergeste.
Die Nation. Semel in hebdomada vulgatur. Berolini.
Studien und Mittheilungen. Reigen.
Obnova. V. Hradci Králové.
Vlast. V. Praze.
Bulletin Bibliographique internat. Bruxelles.
Revue Bibliographique Belge. Bruxelles.

Revue Neo-Scolastique. Lovanii.
Boletin-Revista de la juventud católica de Valencia.
La Crux. Madriti.
El Eco Franciscano. Santiago.
Revista Católica de las cuestiones sociales. Madriti.
Revista crítica de historia y literatura españolas, portuguesas, é hispano-americanas. Madriti.
Revista Ecclesiástica. Valdoleti.
La Semana Católica. Madriti.
Amerikanski Slovenec. Tower.
El Católico. Santiago de Cuba.
Der Herald des Gimbens. St. Luis Mo.
Diario de Centro America. Guatemala.
Johns Hopkins. University Circulars, Baltimore.
Katholischer Mester. Dubuque.
The Messenger of the Sacred Heart. Neo-Eboraci (U. S. A.).
Niagara Index. Niagara University, N. Y.
Revue Ecclesiastique. Valleyfield in Canada.
The Review. Singulis ebdomadis editur. Saint-Louis M. (U. S. A.).
The Rosary Magazine. Patrum a S. Dominico praeconium menstruum. Somerset (Ohio) U. S. A.
The Church Progress. St. Luis Mo.
The Tidings. Los Angeles, Cal.
Our Alma Mater. St. Ignatius College. River-view, Sydney.
I-wen-lou et Revue scientifique. Zi-hai = Shang-hai.

COMMENTARII "VOX URBIS", INDEX RERUM

XI num. ann. II.

Episcoporum Americae Latinae Concilium in Urbe congregatum - EUCALYPTUS.
De Anno Sancto qui dicitur iubilaei - H. DE VECCHI-PIERALICE.
De prima puerorum institutione apud Romanos - I. IACHINO.
Angelus et infans - F. X. REUSS.
De spectaculorum pernicie - I. ANTONELLI.
A traheā ad currus "Auto-mobiles" - SENIOR.
Eucharistici triumphi - P. PASQUALI.
Ex Batavia - M. L. MICROVIR.
De Collegio Pio Latino Americano Romae instituto - ALPHA.
Lazarus Spallanzani - A. COSTAGGINI.
Nova ad septentrionem profectio - X.
In herbam nicotianam - D. MACRAE.
Liberalium artium opera Venetiis nunc collecta atque publice exhibita - A. L.

Annales - POPLICOLA.

Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.

Librorum recensio.

Aenigmata - I. SULLIVAN.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.

Varia: Utilitas chronologiae - Ioci - P. d. V.

XII num. ann. II.

Auspicio de Europae bellis vel pace - ROMANUS.

De recenti morbo et restituta valetudine SS.

D. N. Leonis PP. XIII - Dr. Ios. LAPONI.

De optimis scriptorum graecorum et latinorum editionibus - F. RAMORINO.

Catholicum athenaeum Insulense - D. TAMILIA.

De curribus electrica virtute actis - L. M.

Parens iustitia pacis - A. BASILI.

Ex Batavia - MICR.

Male feriantes Belgae operarii - A. VIEILLOT.

De aedibus Ss. martyrum Ioannis et Pauli in clivo Scauri - SENIOR.

Aemilius Castelar - A. COSTAGGINI.

Vita functi viri clariores - C.

Frustula - FORFEX.

Americanici Concili ritus - X.

Annales - POPLICOLA.

Publici per orbem coetus legibus ferendis - SCRIBA.

Quæsitus responsio - H. D. V. PIERALICE.

Librorum recensio - H. P.

Aenigmata - C. MANCINI.

In tertia operculi pagina:

Per orbem - VIATOR.

Varia: Athenæi praeses natu minimus - Ephemeridum scriptorum fata - I. A. — Domuspolis -

Quid necessitatem spectantibus curationem leonum - P. d. V.

OPTIMUM OLEORUM OMNIUM
purissimum, et iam usu probatum apud Ecclesiasticos viros universi Orbis terrarum suppeditat una

Praemissis decorata Societas ad Olea Olivaram

(vulgo: Riumione dei produttori di olio d'oliva)

BARI IN ITALIA
CONSTITUTA

In Ita.
Lib. I5.

EX SINENSIO

QUAEDAM

D E Sinensis certatim ruentis aedificiis Avidius quam prævisum, nec tamen casuram, aut perturbatione c.

Verum con Dei cuncta adi leges posuit in r ac ventos, calore vicissitudine magis humanos c mentem atque sapientia sua varia, cupiditat ad agendum implicant, hi sibi servire possunt, quibus iunguntur omnia ad aliud.

Haec in hi ut sit omnibus esse rerum om moderatore, ergi ditione ac

Patria sua nationem Rom at per legiones runt, qua Evan fortissimas Eur trantes, eas ad i et in coetus iuterunt.

Omnia in sapientia per humanae libert et, quae sensim consistant. Qu nitatis ac christ attigit! Videtur vigilavit, bonitatem temporis obtigisse puter.

Tantum en nam, qua Indos Africæ inhosp modo invadit, scrutentur, null accendant.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:
In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italianam:
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7½.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques.
ROMAE — Via Alessandrina, 87.

EX SINENSIO IMPERATORIS RECENTI DECRETO
QUAEDAM COGITATE INFERUNTUR

DE Sinensi imperio nonnulla disserui, quum certatim Europae civitates tamquam corruentis aedificii partem singulae sibi appeterent. Avidius quam prudentius id tentari visum, nec tantam molem brevi casuram, aut sine magna rerum perturbatione censui.

Verum consilio et providentia Dei cuncta administrantur, qui dum leges posuit in rerum natura fluctus ac ventos, calores et frigora utili vicissitudine moderantes, quis neget humanos casus eamdem regere mentem atque in certum finem e sapientia sua disponere? Studia varia, cupiditates multae homines ad agendum impellunt; verum cum hi sibi servire putant, fila suppeditant, quibus iuxta divinum consilium omnia ad apicem confiantur.

Haec in historia philosophia; ut sit omnibus persuasum, Deum esse rerum omnium dominum ac moderatorem, et quae gerantur, eius geri ditione ac numine.

*
Patriae suae gloriam et dominationem Romani avebant unice, at per legiones suas viam aperuerunt, qua Evangelii praecones, ad fortissimas Europae gentes penetrantes, eas ad humaniorem cultum et in coetus iure sociatos constituerunt.

Omnia in terrarum orbe divina sapientia per gradus perficit, ne humanae libertati injuria inferatur, et, quae sensim coaluerunt, firmius consistant. Quanta generis humani pars humanitatis ac christiana religionis beneficia nondum attigit! Videtur in eam, quae admodum in aliam vigilavit, bonitas divina dormitare: sed maturitatem temporum exspectat, quam huic aetati obtigisse putem.

Tantum enim christianas civitates qua Sianam, qua Indos, qua extremi Orientis plagas, qua Africae inhospitas regiones penetrandi studium modo invadit, ut nullus angulus sit quem non scrutentur, nulla tam seposita gens ad quam non accedant.

Et si liceat tempus cum tempore comparare, quae nunc videmus non multum discrepare existimem ab illis quae sub imperii Romani occasionem evenerunt. Eterim tunc temporis ferae gentes a septentrionibus, ab austro, ab oriente, eadem qua Romani ad eas pervenerant via, Romam undi-

religionis ibidem etiamnum alimenta trahit: vivit enim error ex vita veritatis.

*
Itaque ex Evangelii praeconibus suum quisque populum quacumque sequitur, quamque eorum praecursors aegerrime quovis tempore inter immanes gentes nunquam vitae suae periculo docere doctrinam abstiterunt, modo liberius propagant, et praesenti suorum civium exemplo, qui per eam ad summum tum potestatis tum doctrinarum ac artium fastigium pervenerunt, facilius suadent. Inde factum est ut Persae, Indi, Iaponenses, aliaeque gentes a nostro cultu antiquitus abhorrentes, dexteram tendant atque nobiscum societatem adiungere studeant, foedera ineant, portus suos ad commercia pandant, sed potissimum ad ea principia respiciant, unde in Europe civitatibus tantum humanitatis et potentiae factum est incrementum, et mirari, vereri, diligere christianam fidem incipient.

IN IOANNEM BAPTISTAM GROSSUM
PRAEPOSITUM CURIAE IOANNIANAE BRAIDENSIO APUD SUBALPINOS
ANNUM XXV SACRI MUNERIS AGENTEM

IOANNI BAPTISTAE GROSSO

SACERDOTI INTEGERRIMO

CIVI OPTIMO

QVI ANNVM IAM QVINTVM ET VICESIMVM

CVRIAIE IOANNIANAE PRAEPOSITVS

NVLLVM OFFICII MVNVS DESERENS

DEI AMOREM ET VVLGI CARITATEM OMNIBVS SVADET

AEGROS SOLATVR

CALAMITOSOS SVBLEVAT

TEMPLVM AMPLISSIMVM

SVFFRAGANTE CIVIVM MVNIFICENTIA EXSTRVXIT

AEDES PVERILI AETATVLAE RECEPIENDAE INSTTVENDAE

INCHOAVIT

CLERVS ET POPVLVS BRAIDENSIS

GRATI MEMORES

VITAM LONGAM BEATAM

RECTE FACTORVM CONSCIENTIA SAEPTAM

ET CRESCENTIBVS IN DIES

BONORVM OMNIVM STVDIIS MVNITAM

VNO ANIMO PRECANTVR

D. XXII IVNII A. M DCCC IC

I. B. Gandinus.

que petebant, superbam eversura dominationem: at Roma victa vicissim eas iterum vicit: nam, inter magnae Urbis spolia, artes, humanitatem, leges, sanctissimae religionis cultum invenere, quibus illectae, non armis sed solidiore potestate in eas Roma iterum dominata est. Hinc respublicae regnaque constituta sub Crucis vexillo, Roma magistra ac duce, unde latius mundus factus est romanus. Et nunc rursus Roma infert se in feras nationes. Romanum enim quidquid christianum, dissideat licet quis nonnihil a materna doctrina, unde incunabula civilis vitae et

que petebant, superbam eversura dominationem: at Roma victa vicissim eas iterum vicit: nam, inter magnae Urbis spolia, artes, humanitatem, leges, sanctissimae religionis cultum invenere, quibus illectae, non armis sed solidiore potestate in eas Roma iterum dominata est. Hinc respublicae regnaque constituta sub Crucis vexillo, Roma magistra ac duce, unde latius mundus factus est romanus. Et nunc rursus Roma infert se in feras nationes. Romanum enim quidquid christianum, dissideat licet quis nonnihil a materna doctrina, unde incunabula civilis vitae et

Quod factum nobis in mentem venerunt cum recens Sinensis imperatoris decretum legimus, quo amplissima catholicae Ecclesiae libertas conceditur, eiusque episcopis honores illi iubentur, quibus primae imperii dignitates fruuntur. Neque dubitandum, quin hac vice Ecclesia atque ipsa sinensis societas non sint aliquid verae utilitatis percepturae, spondente praesertim pro fide atque executione Gallia.

Quod factum nobis perpendebus atque ad similia veteris historiae revocantibus, hoc perspicue enitet, cupiditates honinum atque ipsas eorum necessitates in gloriam et Ecclesiae suea progressum a Deo semper disponi. Sinenses armis, insidiis hinc inde lacessiti, Gallos elegerunt, quibus potissimum confiderent, tum propter possessionum vicinitatem, tum etiam propter classium vires ipsorumque cum Russico imperio societatem. Itaque, ut ipsis gratificantur, liberam Ecclesiam catholicam in imperio fecerunt, huiusc rei tutelam Gallicae reipublicae permisere. Quod quidem potest Gallia quasi suo iure et

non difficulter praestare, et propter rei christiana patrocinium, quod tamdiu in Oriente exercet, et quod ex propagatoribus Evangelii maxima pars e Gallia sint. Itaque propter Galliam inter et Russiam foedus nonnihil ipsis Sinensibus opitulari eadem Gallia potest, eosque a multiplici ceterarum nationum ambitione tueri, licet sibi et possessionibus suis haec nova rerum conditio magnopere profutura sit; nemo igitur sibi bene consuluisse Sinenses, et Galliam bona occasione in suam utilitatem usam negabit.

**

Sed nos, ut unde ortum accepit eo revertatur oratio, in his omnibus miram Dei providentiam intuemur, quae ne longius Evangelii luce careant Sinenses, dum utraque pars rebus suis unice prospicere putat, latam patefacit viam Christi praeconibus, ut populus ille pene infinitus in novam spem exsurgat et revirescat.

Quam nunc libenter lectissimas animas appelle, quae fere quotannis in illis regionibus sanguinem suum fortissime profuderunt, ut tandem laborum suorum fructum prospiciant! Martyrum sanguis semen est Christianorum, nimur verae humanitatis, omnium virtutum civilisque progressus caussa et fons. Felicem igitur faustumque hisce initis ominamur exitum, ut nulla generis humani consociatio Servatoris sui beneficiis careat.

EUCALYPTUS.

DE DRAMATIBUS EMENDANDIS

SPECTACULORUM assidua exhibito populique ad ea invisenda tanta frequentia, quae in nostris moribus tam radicitus convaluisse adnotavimus, hoc plane efficiunt, ut cuiusvis dramatum scriptori chirurgica veluti arma quodammodo tradant, quibus vel infesta venena, vel salutares lymphas iniicere in spectantium animos pro libito permittatur. Magni sane rem momenti videmus, et ipso sacri civilisque oratoris munere quasi graviorem - quo magis aetate hac nostra, publicarum rerum incuriosa, ac religionis solemnium plerumque immemori - non eamdem ferme in publicis comitiorum aulis, neque in ecclesiis frequentiam quam in theatrorum caveis esse. Augentur haec ipsis artis excellentia; ut enim dramaticum carminum genus ceteris non modo antecellit, sed quasi in unum coacta profert, ita latius altiusque, admoto auribus, oculis, mentique blandimento, consilia sententiasque omnes, quibus fabula concepta est, infingit animis vim habet, iuxta Horatianum illud:

segnis irritant animos demissa per aures,
quam quae sunt oculis subiecta fidibus.

Quod cum Graeci illi primi divinassent, qui ingenio prae ceteris pollentes, artem tragicam vel comicam a Bacchanalium choreis ad scenae dignitatem extollere contenderunt, ad morum statim emendationem procurandam, ad legum observantiam suadendam, ad augendam pietatem erga Deos, ad patriae caritatem excitandam fovendamque traditum sibi senserunt potentissimum stimulum.

Neque sane nobis facile intellectu est quantus populi fremitus et clamor, quantusque totius cavearum strepitus toties fuerint excitati, cum Aeschyli *Ot. II. 6. 100*

agerentur, nuncii persona invitationem illam in pugnantes ad Salaminam iterante (v. 402):

... Ω παιδες Ἐλλήνων, ιτε,
ἐλευθεροῦτε πατρίδα, ἐλευθεροῦτε δὲ
παιδας, γυναικας, Θεῶν τε πατρών την
θῆγας τε προγόνων· νῦν δέπερ πάντων ἀγών (1).

Tunc senum omnium iuvenumque adstantium turbas, tantorum verborum sonitu ac tantae memoria gloriae, patriam caritatem quasi incendi flammas in corde flagrantem, elatumque veluti tubae clangore animum, experiri necesse fuit.

Neque a civilibus his longe dissimiles intentus comoedia habuit; Aristophanis enim sales ac dicacitates nonnisi in vituperanda vita vel in tuendas patriae consuetudines directa sunt, cuius inter dramata notissimum est, pulcherrimum illud, cui *Al Neptūnus* titulus, ut Deorum immortalium religionem tueretur, quam a Socrate labefactatam putaverat, exarasse.

Exempla haec singulis qui ingenio ad rem polleant monumento sunt, ut emendationem illam spectaculorum, quae in votis est, assequamur, hodiernamque ex iis perniciem avertamus omnino, mediaque indigitant, quibus id planius obtineamus, quamvis nonnisi humana fingentes ac cuivis vel rudi ingenio satis aperta.

Noverant enim viri altissimo donati ingenio, non id satis esse poetae, ut cuiusvis rei pulcritudinem, lectissima quamvis forma, ad blandimentum civibus praestarent, absque ulla morum utilitate, immo cum facili detimenti periculo. Quae quidem nos, Christi nomine aucti, acrius tenere sanctis religionis praecipitis obstringimur; non enim artium cultoribus datum est privilegium, ut nonnulli hodie stulte contendunt, pulcritudinem hanc sensibilem excolendi, nullis obstantibus legis vinculis, ipsisque pretis limitibus, quos natura in turpium foedarumque rerum obscenitate constituit.

Una forte pulcritudo est et illecebrarum et periculi expers, quae non terrestrium adspectu, sed ex ipsa coelestium rerum contemplatione manat, quam ferme Theresia interdum in sui vita a se scripta exquisita forma retulit, vel Aligherius noster aliquando, in *Paradisi* praecipue carmine, huc vel illuc attigit; sed ea Beatris est cuius verba exprimere paucissimis, intelligere vero indeque delectari nonnisi selecto agmina datum sit.

Grex humiliora quaerimus ac terrae magis proxima, vitaeque, quam quotidie vivimus, proprius accommodata.

Haec itaque cum dramaticus poeta venustatis amore vel gloriae cupiditate successus effingere aggreditur, sciat nonnisi vitali aliquo morum alimento sibi esse condienda, ut conclusus caveis populus aliquantulum saltem edoctus et morali quadam arrepta utilitate discedat: his officiis poetae munus sacerdotio quasi comparatur.

Quae sane praecpta maxime semper secuti sunt, in veneranda antiquitate, Aeschylus, Sophocles, Aristophanes, Menander; recentioribus vero saeculis, Corneilius, Racinius, Molierius, Shakspearius, Calderonius, et Alferius et Ferrarius nostri.

Qui cum vel Macbethi flagitia conscientiae angoribus et calamitatibus castigata, vel Ataliae crimen divina fractum vindicta, vel falsam religionis speciem simulantes vituperatos, vel superbiam Saul regis amatoria ac furore disiectam, suis quisque insignibus operibus protulerunt, moralis civilisque prudentiae splendida insimul ediderunt documenta. Nec Gallus ille

(1) « O Graeciae filii, ite, liberate patriam, liberate pueros, uxores, deorum patriae tempa et sepulcra maiorum; nunc pro omnibus pugna est ».

praetereundus est, inter huius delabentis saeculi dramatum scriptores forte peritissimus, cuius inter comedias fabulas pulcherrimam plurimi censem illam, qua Rabagas, efficti nugivenduli persona, civilem hunc regendarum civitatum morem acerrime est insectatus.

Nunc itaque, postquam plures veteres populi, Graeci, Itali, Germani, in unitatem restituti sunt, civilis libertas parta, iuraque et leges omnibus aequa constituta, quae omnia tot iam praecones sub fabularum velamine in scena propugnaverant, illum velim maximum inter dramaticos poetas salutare, qui officibus, agricolis, et egenis omnibus, quos fames torquet et falsa philosophorum doctrina stultis effatis pervertit, arte subveniat; qui christianaee societatis debita et iura, et, quae omnis generis malis ab Evangelio proferuntur remedia, potentissima scena effacia proferat, carminumque admota virtute, optime populos adhortetur, indigitans quibus potius virtutibus aerumnarum huius vitae causae expelli, quo potius fonte solatia attingi possint.

Poetam adprecor, qui nostrae huic latinae soboli, cuius non impar imminent calamitatum pondus quam transactae gloriae cumulus est, patrum res gestas ex longa oblitione iterum in oculis ad vitam suscitet, ut degeneres nepotes aliquando viva memoria ariquie pudore excitentur.

Genium hunc tutelarem quasi exspecto, qui, mutuatis ex vita miserrimis vitiorum effectibus, mores emendet, perversos animi motus insectetur, auri hanc insatiatam famem, qua stulti incendimur, vituperet, animos altiae strenuaeque virtutis exemplis confirmet.

Neque tamen suus desit amori locus; nam, etsi malis saepe cupiditatis illecebris in nefas omne ruere homines videamus, sunt, nec quisquam ignorat, ingenuae et castae pulcritudini validissimi in nos tradii stimuli, quibus interdum ad bonum quodvis assequendum per aspernum quodque iter impellimur. Tunc enim cuiusvis virtutis flammarum purus integerque amor in homine incendit, quamvis non raro optati praemii spe omnino destitutus.

Ad quae profecto id unum satis sit memorare, quod Gallus Rostand, lectissimi ingenii poeta, nobili stylo dictavit drama pulcherrimum, cui *Cyrano de Bergerac* nomen imposuit.

Opus enim tum morum saeculi decimi septimi studium ac perspecta scientia, tum rursus conficiendi ars exquisita optimum fecerunt; at una praec omnibus laboris pretium est principis actoris persona, qui nobilissimo amore, quamvis infausto, accensus, latini animi altam indolem generosamque virtutem ad maximum usque sacrificium perducit. Hinc et apud nostros et apud Iberos praecipuus insolitus que operi favor, quo ferme virtutum omnium, quibus media, quae dicitur, aetas suos equestri ordine auctos milites praeditos voluit, specimen carissimum evocatum prae oculis viderimus.

Late igitur optimi consillii viris panditur via firmo terenda gressu ad spectacula in reipublicae salutem emendanda, insignaque exempla animos ad inceptum erigunt. Ad quorum tramitem si nova dramata effingantur, nulli amplius improbanda erunt quod corruptelam foveant, sed, uti Cyranus ille de vita, ita et ipsa de scena « immaculata intactaque crista » discedent.

I. ANTONELLI.

Cito parcendum est iniurianti, ne veniae viam tibi intercludas.

(S. AUGUST. De civ. Dei, lib. 4, c. 5).

VETER
R OBERTU
de mo
medium, que
que ipsius lo
vit, adnotavi
sunt, rei nov
fecto primum
statuto, quo
scholasticae
expositione s
dram Petri r

Lex est, i
litaniarumque
quis contra, d
lustrans ab a
ctoris arbitrio
vel blasphem
nales insectat
mine erant;
gressus esset;
Singulare
pretia; si abs
levi vulnere,
nece, rectoris
inter athenae
tradere, vel f
batur; neque
eumque ex b
militum est,
Quae vero d
iterum iteru
vestibus mult
induerent, ne
confecta, neq
statutis legitu
delectatur»; u
pileus implu
cipitur: ipse
MDXLVII, die n
legum, quae
neque armis, u
a milite vel a

De nuptiis
quod primum
venes adserit
decreto mitiga
est commendata
sese ferrent.

Quoniam v
torum uxorem
documentis pa
quidam, uxore
anno MDLXVIII
noctu civitatem
uxoris filiorum
eodem anno, c
Kupferlein per
uxorem verber
cula datus est.
nem frustra ev
ut baccho liba
Ianuarii anno

Omnium v
enimentum est
datum, quo de
qui, uti fama e
relatio fit.

Oblato sena
inquisitionem c

VETERES ATHENAEORUM MORES

ROBERTUS von Mohl, Germanus eruditissimus vir, de moribus iuvenum in Tubingae athenaeo per medium, quem dicimus, aevum literis vacantium, deque ipsius loci consuetudinibus multa acute investigavit, adnotavit, vulgavitque, quae nuperrime tertio edita sunt, rei novitate, ut puto, scitu gratissima. Adest profecto primum sylloges quaedam ex athenaei collecta statuto, quod inscribitur «Constitutio et ordinatio scholasticae universitatis studiorum Tubingae cum expositione statutorum d. d. feria sexta post cathedram Petri 1518».

Lex est, inter alia, ut iuvenes sacris concessionibus litaniarumque recitationi fideliter adstant: quod si quis contra, dum concio haberetur, civitatem vel agros lustrans ab athenaei clavario deprehensus esset, rectoris arbitrio poena erat multandus. Item periuris vel blasphemantibus, vel iis qui conviciis contubernales insectati essent, xv kreuzer solvendi poenae nomine erant; et si quis districto gladio comitem agressus esset, xxii kreuzer multa in illum constituta. Singularium pariter certaminum erant iuxta exitum pretia; si absque sanguine, unius tantum floreni, si levi vulnere, in duplum; si contra gravi vulnere vel nece, rectoris arbitrio poena relinquebatur. Si quis inter athenaei aedesensem distinxisset, vel rectori tradere, vel floreni pretio illum redimere obstringebatur; neque tamen nimis longum cingere licebat, eumque ex balteo pendulum tantum, non vero, ut militum est, elata cuspide arroganter circumferre. Quae vero de armis heic adnotantur, non semel sed iterum iterumque cauta sunt, itemque de iuvenum vestibus multa constituta, ne phrygio opere ornatas induerent, neque pallium vel femoralia militari ritu confecta, neque coactiles pileos, vel pileos illos, ut in statutis legitur, «oblongos, quibus turcica barbaries delectatur»; unus enim aptus discipulorum dignitati pileus implumis, et cuiusvis expers ornamenti, praecepitur: ipse enim Ulricus Dux, in *scripto* anno MDXLVII, die mensis Aprilis XII, edito, de inobservantia legum, quae vestes respicerent, querebatur, quod neque armis, neque habitu iuvenem studiis vacantem a milite vel ab artifice amplius distinguere liceret.

De nuptialibus pompis multa cauta sunt; at quod primum statutum fuerat, ne unquam illis iuvenes adssisterent, anno MDXIV academicus senatus decreto mitigatum videtur, quo vehementer iuvenibus est commendatum, ut graviter saltem ac modeste sese ferrent.

Quoniam vero de nuptiis loquimur, multos auditorum uxorem liberosque habuisse, satis ex allatis documentis patet. Anno enim MDLVI Thalheimer quidam, uxore intercedente, e vinculis liberatus fuit; anno MDLXVIII auditor alius ebrietati deditus, qui vel noctu civitatem strepitu perturbabat, nonnisi ob Frau uxoris filiorumque pietatem veniam a senatu obtinuit; eodem anno, die Iuli mensis decimaprima, Ioannes Kupferlein perditis moribus, lectionibus infrequens, uxorem verberans, per quatuor hebdomadas in vincula datus est. Quae tamen cum ad illius emendationem frusta evasissent, qui in peiora quotidie ruens, ut baccho libaret, vel libros venerat, die XIII mensis Ianuarii anno MDLIX ex athenaeo pulsus est.

Omnium vero insolitum ac scitu curiosum documentum est die XI mensis Decembris anno MDXCVI datum, quo de iuvene quodam, cui nomen Leipziger, qui, uti fama erat, animam suam diabolo tradiderat, relatio fit.

Oblato senatoribus libello, theologiae lectores ad inquisitionem constituuntur, ut Leipziger interrogatae

rent, num a multo iam tempore cum Beelzebub coloqueretur, an et quoties pecuniam ab eo accepisset, an et quales libros ad rem legisset, etc.

Iuvenis respondit, se illius criminis semel tantum noxiun fuisse, sed a diabolo nec as quidem accepisse; sese vero ad tantum facinus una de causa perductum, quod ducentorum florenorum et amplius aere alieno obrueretur. Mentem autem sibi fuisse ad duos annos pactionem cum diabolo instituere; quod intra temporis intervallum morte corriperetur, eam infringens, se validiori tutum divino patrocinio protestaturum. Quam rei confessionem cum senatus audisset, ad aliquod saltem temporis illum in vincula detrusit, decrevitque, ut ad sacram synaxim se iterum disponeret atque insimul ad dimidium anni domi semper maneret, nisi quum ecclesiam esset aut scholam aditurus. At Leipzigum illum, etsi animam diabolo non tradiderit, haud sanctum tamen dixeris; exactis enim nonnullis hebdomadis, novus libellus oblatus est, quo illum non ad orationem nec ad scientiam tantum e domo egressum nunciatum est; sed caponas et tabernas ad bibendum pluries iam adiisse, ac tria argentea pocula totidemque argentea cochlearia furatum fuisse.

A. COSTAGGINI.

IN FESTUM S. PETRI APOSTOLI

*Solem reduxit Iunius aureum,
Clarum triumpho grandis Apostoli,
Cui Clavis est commissa, Caelos
Pandere docta vel obserare.
Iam certat omnis (longa quo agmina!)
Petri sepulcrum Roma revisere,
Accita tinnitu canoro,
Quem sacra rite cinct metallum.
O mira Templi magnificientia!
O vasta moles, marmore nobili
Auroque dives, nec secunda
Munifica Salomonis Aedi!
Quis sculpta templi Signa; quis affabre
Pictas lapillis dicat Imagines,
Musiva queis aeternitatem
Confultis ars, apicemque laudis?
Scintillat ardens copia lampadum
Altare circum; cuius in ambitu
Sinuque amice conquiescant
Ossa Petri sociique Pauli.
Heic, o Quiriles, flectite poplitem,
Gratesque Christi redditte Nuntiis,
Qui vos Fidem Caelique callem
Edocuere, pii Magistri.
Nec longe ab ara surgit ahenea
Petri sedentis Forma, veterrimo
Laudata cultu, quam severa
Pontificis gravitas adornat.
Claves sinistra gestat; et arrigit,
Dum fausta profert omina, dexteram;
Prostat pes unus, qui, piorum
Tritus ut est labii, nitescit.
O ROMA FELIX! defer Apostolo,
Tuo parenti; defer et inclito,
Qui nunc gerit Claves, LEONI
Laeta tuae fidei tributa.*

F. X. REUSS.

FERREUM ITER TRANSIBERIANUM

MATURITAS est Siberiae conditionibus consulendi. — His ad amussim verbis Alexander III Russorum imperator relationem adnotabat, qua supremus illius provinciae praeses summa rerum iniquitate suos laborare fines querebatur, quippe qui nonnisi ad deducendos reos deportationis poena mulctatos utiles ducerentur. Immerito tamen; etsi enim non eadem quae in reliquis Asiae partibus coeli temperatio, ditissimos vel ibi profert natura thesauros, tum inexhaustis metallorum fodinis, tum abdita latissimis densissimisque silvis foecunda animantium varietate.

Imperatoriis optatis, nulla cunctatione, magistratum opera morem gessit; plus semel enim tum civiles, tum bellicae, tum pecuniarie necessitates expostulaverant, ut aptiores commodioresque viae per incutas adhuc regiones sternenter, quibus antiquum Petri, quem magnum vocant, consilium totius Asiae principatus Russorum imperio addicendi facilis perficeretur.

Primum itaque operis cogitatum hoc fuerat, ut navigabiles maximorum fluminum orae, stratis ab una ad aliam urbem ferreis itineribus, Tomsk-Irkutsk - Verchne-Udijnsk - Myssovskaia-Strijtensk; Grafskaia-Vladivostock, in bis millium et nongentarum et quinquaginta verste longitudinem coniungerentur. Horum itinerum duo, quae pr'ori loco memoravimus, Siberianum centrale atque Transbaicalianum nuncupata, Ob flumen cum Baical lacu primum, hunc deinde cum Amur altero flumine coniungere oportebat; tertium denique Ussurianum nomine, Ussuri fluminis aquas percurrentes, Vladivostock usque portum attingere, militarum rerum commerciorumque Russorum extremum orientale propugnaculum. Ob flumen vero, ex quo iter initum, Tobol ac Tura affluentibus annibus adhuc, ferreum Europae iter Uralianum attingere opus erat.

Aptissime ferme statuta haec omnia ac prudentissime explorata pene fuerant, nisi unum obstisset, fluviales vias hiemis tempore gelu rigescere, iterque omnino precludere. Hinc totius itineris ferreis axibus sternendi exustum consilium, statimque perfici inceptum, ita ut ferrea via Samara-Ufa-Slatoust annis MDCCCLXXXVIII, MDCCCLXXXIX, MDCCXC absoluta Siberiam prope Tcheliabinsk ingrediens, per sex millia et octingentas quinquaginta et octo verste longitudinem Vladivostock teneat. Huius partes sunt via Siberiana occidentalis, quae Tcheliabinsk ab urbe profecta, Petropavlosk, Omsk, Kainsk, Tomsk civitatibus occurrit, usque ad Ob flumen; Siberiana centralis ab Ob flumine per Marijnsk - Krasnoiarsk - Nijni - Udinsk urbes; Baicaliana ex Irkutsk per Verchne-Udijnsk usque ad Myssovskaia; Transbaicaliana a Myssovskaia per Chita ad Strijtensk; Amuriana (seu Amur flumini pertinens) ex Strijtensk per Nertchinsk et Blagovestchensk ad Chabarowsk; Ussuriana septentrionalis a Chabarowsk ad Grafskaia; Ussuriana meridionalis a Grafskaia ad Vladivostock.

Operi ea alacritate manus admotae sunt, ut primae iam itineris partes stratae nuncientur ac perfectae; pretium vero, quamvis post absolutum omne iter quanti evasurum prae-numerare impossibile sit, ad 371 100 947 rubli est supputatum, quibus 12 000 000, pro operibus multis ad complementum exstruendis, iterum addere est. Verum utilitas quae, ea perfecta via, Russorum primum imperio, atque Europae omni cunctoque orbi inde parietur, ob commercia praecepit cum Sinensium vel Iaponensium imperiis facillima atque apertissima, in immensum excrescit, ac prae-sertim post additam ei coniunctamque Manciurianam aliam viam, qua ex Nertchinsk profecti viatores, Amur longissimum circuitum praetermittentes, directo tramite ad Vladivostock moenia pervenient.

Et profecto dum curribus vehibusque ex Tcheliabinsk urbe non unius tantum, sed et duorum mensium spatio, hiemis praecepit tempore, Vladivostock tenere licebat, vaporitrae a Petersburgensi civitate profectae uno tantum mense iter reditumque absolvant. Nec satis: nam quae itinera ex Londinensi urbe ad Nagasaki triginta quatuor vel tringita sex diebus hodie licet perficere, viginti quatuor vel viginti sex, decem detractis, tunc perficiuntur, quae immo, quo magis vehorum velocitas novis inventis augebitur, velociora in dies fient.

A. LUZZANI.

DE MEMORIIS APOSTOLORUM PETRI ET PAULI
IN URBE ROMA

MAXIMA eaque per insignia Petri et Pauli apostolorum in Urbe monumenta, sepulcra ipsa, quae in Vaticano et prope viam Ostiensem adhuc veneramur, procul dubio dicenda sunt.

Eadem saeculo iam post Christum secundo comperta omnibus profecto erant; atque ad haereticos profligandos Romanaeque Ecclesiae apostolicam auctoritatem tuendam a Caio presbytero, verbis notissimis ab Eusebio traditis, indicabantur: « Ego vero apostolorum tropaea possum ostendere; nam sive in Vaticano sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrit tibi tropaea eorum qui Ecclesiam illam fundaverunt » (1).

Haec autem *tropaea*, scilicet *sepulcra*, titulis ipsis innotescere existimandum est; quare ad inscriptions sive sepulcrales sive honorarias verba alia eiusdem Eusebii referenda censeo, cum, de martyrio apostolorum in Urbe scribens, haec habet: « Quod abunde confirmant Petri Paulique nomine insignita monumenta, quae in urbis Romae coemeteriis etiam nunc visuntur » (2).

Aetate ipsa Constantiniana pacis, qua floruit Eusebius, testimonium aliud habemus in scriptis Optati Milevitani, qui Donatistis « memorias apostolorum in urbe Roma » obicit (3). Et postremis eiusdem saeculi annis, Hieronymus, de Petro agens, illum in Vaticano sepultum fuisse declarat, et ab omnibus ibidem in honore habitum: « sepultus in Vaticano iuxta viam Triumphalem totius orbis veneratione celebratur » (4).

Prudentius denique christianorum sui temporis datum facile princeps, qui Romam, initio saeculi a Christo quinto, devote et diligenter invisit, Tiberim flumen quasi inter duo sepulcra apostolica fluentem poetice describit: « sacer ex utraque ripa inter sacra dum fluit sepulcra » (5).

Hisce autem addendum est testimonium illud quod ex Actis Petri et Pauli deponitur; quamvis enim Acta illa ut *apocrypha* merito a doctis et intelligentibus rerum aestimatoribus iudicentur, magnam tamen redolent antiquitatem, et studio et pondere dignissima habentur.

Argumentis tandem ad authentiam duplicitis sepulcri statuendam factum illud, ut ita dicam, coronam imponit ipsius foundationis duarum basilicarum, Vaticanae scilicet atque Ostiensis, Constantini Augusti temporibus, aedificia in urbe Roma ante alia longe celeberrima, et a civibus advenisque solemnis cultu ac veneratione saeculis omnibus habita.

Humili suo unumquodque loco sepulcra haec apostolorum ad medium circiter saeculum tertium extiterunt. At anno 258, ut multorum opinio est, pignora illa sanctissima ad locum qui dicitur *ad catacumbas*, iuxta viam Appiam, translata sunt; in Ecclesiam tunc saeviente Valeriano, qui coemeteria ipsa Christianorum fisco adiudicaverat (6). De quo testimonium luculentissimum in pervetusto Romanae Ecclesiae kalendario habemus, ubi sub die XXIX mensis

Iunii legitur festum apostolorum tribus in locis celebratum; in Vaticano nempe, et prope viam Ostiensem, ac denique *in catacumbis*; cui postremae indicationi nota chronologica anni 258 hoc modo adiicitur:

« III kal. Iulias, Romae, via Aurelia, sanctorum apostolorum Petri et Pauli. Petri in Vaticano; Pauli vero in via Ostiensi; utrumque in catacumbis (passi sub Neroni) Tusco et Bassi consulibus (a. 258) ».

At persecutionis acerrimae transacto tempore, corpora apostolorum, anno probabiliter 260 sub Galieno, ad primaeva reducta sunt monumenta; et ibi perpetuo ad nostram usque aetatem separatis servata.

Hypogaeum, in quo corpora apostolorum aliquando iuxta viam Appiam iacuerunt, etiam nunc pone absidem basilicae S. Sebastiani martyris aspicere iuvat; et criptam illam quae *Platoniae*, seu

constitutor, in opere cui titulus *Roma sotterranea* aperte fatetur. *Liber enim pontificalis* beatum Petrum sepultum in Vaticano fuisse indicat, « iuxta locum ubi crucifixus est, iuxta palatum Neronianum in Vaticano ». Et Neroniani palati nomine praedium suburbanum illius Augusti et circum Cai Caesaris indicatum esse nulli est dubio obnoxium.

In Actis autem, quae iam antiquissima fuisse diximus, martyrum beati Petri « iuxta obeliscum Neronis » evenisse notatur; scilicet apud obeliscum, qui in medio circa eiusdem olim exstebat, quem postea in medium plateam Vaticanam Xystus V P. M. transtulit. Quin imo alia etiam documenta, quamvis recentioris fortasse aetatis, locum crucifixionis beati Petri « inter duas metas » indicant (1); quae verba « circum Vaticanum » profecto designant, et ad duo monumenta Aureliae et Ostiensis viae, longe inter se dissita, referre, ut quidam autumarunt, plane absurdum est.

Denique alicuius momenti Iulii Erculanii testimonium a Bosio prolatum iudicari etiam debet; iuxta cuius scriptoris fidem in veteri Vaticana basilica oratorium quoddam sub nomine *crucifixionis beati Petri* publicae venerationi patebat (2).

Quae omnia equidem historiae persecutionis Neronianae perfecte respondent.

In Vaticano enim, teste Tacito, protomartyres romani, anno 64 post Chr., triennio scilicet ante apostoli necem, triumphi palam meruerunt; cum Nero « hortos suos ei spectaculo obtulerat... ut ferarum tergis contexti laniatu canum interirent aut *crucibus affixi*, aut flammandi, atque ubi defecisset dies in usum nocturni luminis urentur » (3).

Et valde verisimile mihi videtur, eo ipso in loco ubi martyres illos crucibus Neroniana saevitas affigi iussit, ibi Petrum apostolum in crucis patibulo Christo testimonium reddidisse.

Quid ergo de traditione Ianiculensi dicendum? Eam primaevam non esse ex hac tenuis dictis certe constat; et si etiam media, quae vocatur, aetate exorta, quatuor tamen

loci marmoribus exornati, nomen obtinuit, Damasus papa (ut *Liber pontificalis* testatur) metrica inscriptione ditavit. Quin imo nomen ipsum *ad catacumbas* huic tantum hypogaeo primitus concessum, et postea omnibus aliis veterum Christianorum sepulceris attributum, traditioni eidem, iuxta meam sententiam, optime respondet. Mihi enim valde probabilis opinio videtur nomen illud, quod ex *xata* (*apud*) et *accubitoris* (*cubitaria*, *cumbae*) originem sumit, locum ipsum designare qui « apud duo sepulcra insignissima » et quasi antonomastice « apud sepulcra » positus erat.

De sepulcralis apostolorum hisce tantum delibatis, aliquid de locis utriusque martyrii innuere opportunum profecto erit.

Quod ad Pauli martyrium spectat, ipsum ad *Aquas salvias*, non longe ab Ostiensi via, evenisse universalis et constans fert traditio; quae in Actis apocryphis iam ut certa notatur, et testimonio totius antiquitatis facile potest confirmari, ita ut a nullo homine inficiatur.

Sed de crucifixionis beati Petri loco non omnes erudit homines inter se convenerunt; quippe alii in Vaticano, alii autem in vertice collis Ianiculensis tam insignis martyrii theatrum collocaverint.

Vetustior traditio ad Vaticano procul dubio nos vocat, ut Bosius ipse, rei archaeologicae christiana

abhinc saeculis maxime perulgata est, ab aedificatione nimurum speciosae illius aedis Bramantianae, quam Hispanorum regum munificentia ibi exstructam admiramus. Memoriam tamen apostoli fortasse ibi aliquam fuisse non omnino inficiabor; quod ex condita ibidem ecclesia quadam sub Petri nomine coniici potest. At memoriae huic, qualiscumque ea fuit, indicationem *Itinerarii Einsiedlensis* « fontis et carceris sancti Petri » referendam minime esse, ut quidam opinati sunt (4), iam ipse, inversionem aliquam in codice *Itinerarii* suspiciens, affirmavi (5).

Quam sententiam nuperrime virum doctissimum

Ludovicum Duchesnium amplexum quoque fuisse

non parva animi satisfactione intellexi (6). Erroris

autem origo circa Ianiculensem traditionem variis

modis explicari potest; confusio enim inter vias

Aurelias, antiquam nempe et novam, atque inter

naumachiam, quae in Vaticano certe exstebat, et

aliam longe ampliore sub Ianiculensi iugo, facilime

orta est.

(1) V. GRISAR, *I papi del medio evo*, vol. I, pag. 409.

(2) V. BOSIUS, *Roma sotterranea*, lib. II, cap. iii.

(3) *Annales*, XV, 44.

(4) V. LUGARI, *Le lieu de crucifiement de saint Pierre*, Rome, 1898, pag. 74 et seqq.

(5) V. opus cit. *Le memorie dei santi apostoli Pietro e Paolo*, pag. 113 et seqq.

(6) V. DUCHESNE, *Le Forum chrétien*, 1899, pag. 24.



Imago antiquissima Apostolorum Petri et Pauli
in disco aeneo insculpta
et in coemeterio Domitillae reperta.



Attamen, a traditionem sil.

Sanctiora u
stolos et ad i
quae peregrin
saeculo conscri
Inter haec loc
vias indicatur,
in vertice coll
tereatur (1). Ex
potest memoria
prorsus ignota
inexplicabile pl
nostrae profect
vias a sepulcro
tatione viatoribu
necessarium mi
sepulcrum in
Quod si locus i
pertus tunc R
indicatio nullo n
agitur.

Sed memoria
apostolis sacra
traham, eas in
persequebar.

DE S

Furt haec q
serica textile
Seres primum, in
insula Caea a P
essent; at dum i
sericae vestes di
gionis arboribus
confici fama erat

Quid nemo
Velleraque

(1) V. DE ROSS

Roma sotterranea
lis beatum Petrum
at, « iuxta locum
Neronianum in
nomine praedium
um Cai Caesaris
xium.

issima fuisse dixi
beliscum Neronis »
cum, qui in medio
postea in medium
transtulit. Quin
is recentioris for
i Petri « inter duas
a « circum Vati
duo monumenta
inter se dissita,
ane absurdum est.
lui Erculanii testi
iudicari etiam de
fidei in veteri
m quoddam sub
Petri publicae ve

istoriae persecu
respondent.

Tacito, protomar
ist Chr., triennio
n, triumphi pal
ro « hortos suos
et ferarum tergis
terrent aut cru
atque ubi defe
rni luminis ure

videtur, eo ipso
acibus Neroniana
strum apostolum
testimonium red


e Ianiculensi di
non esse ex ha
t si etiam media,
quatuor tamen
est, ab aedifica
s Bramantianae,
ia ibi extrectam
stoli fortasse ibi
or; quod ex con
o Petri nomine
qualisunque ea
ensis « fontis et
minime esse, ut
inversionem ali
affirmavi (5).

um doctissimum
quoque fuisse
exi (6). Erroris
ditionem variis
enim inter vias
m, atque inter
te exstabat, et
i jugo, facililime

ol. I, pag. 409.
I, cap. III.

de saint Pierre,
oli Pietro e Paolo,

899, pag. 24.



"Platonia" ad catacumbas, Romae.

Attamen, argumentum aliud contra Ianiculensem traditionem silentio praeterire omnino nequeo.

Sanctora urbis Romae monumenta quae ad apostolos et ad martyres spectant, in *Itinerariis* illis, quae *peregrinorum nuncupamus*, sexto vel septimo saeculo conscriptis, magna diligentia notata invenimus. Inter haec locus martyrii beati Pauli ad *Aquas salviae* indicatur, cum locus crucifixionis beati Petri in vertice collis Ianiculensis silentio omnino praeteratur (1). Ex quo grave profecto indicium deduci potest memoriam illam sexto vel septimo saeculo prorsus ignotam esse; nam secus silentium illud inexplicabile plane dicendum est. At hoc sententiae nostrae profecto favet. Memoria enim ad *Aquas salviae* a sepulcro beati Pauli dissitas speciali adnotatione viatoribus indicanda erat; quod in Vaticano necessarium minime fuit, ubi et locus martyrii et sepulcrum in una eadem basilica colebantur. Quod si locus martyrii beati Petri in Ianiculo compertus tunc Romae fuisset, tam insignis memoriae indicatio nullo modo praeteriri poterat in eo ipso documento, in quo de altero martyrii apostolici loco agitur.

Sed memoriae aliae eaeque plures in urbe Roma apostolis sacra exstant; ne vero nimis in longum traham, eas in proximo huius commentarii numero persequar.

H. MARUCHI.

DE SERICIS TEXTILIBUS ARTE CONFECTIS

FUIT haec quondam inter maiores disputatio, num serica textilia, quae et bombycina vocabant, apud Seres primum, immittit Scythiae mitissimos populos, vel in insula Caea a Pamphyla muliere, Latoi filia, inventa essent; at dum in insula illa ex bombycum villis effingi sericae vestes dicuntur, apud Seres contra, ex sua regionis arboribus silvarumque, ut ait Plinius, Ianicio eas confici fama erat, unde in *Georgicon* illa (II, 120):

*Quid nemora Aethiopum molli canentia lana?
Velleraque ut foliis depestant tenuia Seres?*

(1) V. DE ROSSI, *Roma sotterranea*, vol. I, pag. 176 et seqq.

Redibant haec nuperrime ad mentem, cum de sericis artificio pariendis texendisque nonnulla legisset, ac praecipue de Gallo quodam Chardonnet, quem profecto si a Seribus patribus derivatum audirem, nihil mirarer; optime namque arcenos haereditatis influxus abditasque leges, quibus nostra haec etas tanta fatorum vim tribuit, illum informasse dixeris.

Qui igitur, Dedalus alter, bombycem vermiculum natura genitum eiusque lucidam salivam arte imitari aggressus, fulmineum gossypium assueto more primum fingere instituit: quod equidem nihil est aliud, nisi gossypium omnino aridum carminatumque acidi sulphurici ac nitrici mixtione perfusum, et aqua deinde diligenter siccatum.

Massam, fractis hoc modo disiectisque acido fibrillis, in vasibus undique clausis, quibus liquidi aetheris alcoolique solutio continebatur, immisit, cuius contactu, quadraginta atmospherarum vi ac pondere adiuto, eam omnem in liquidum viscosum, fluidum translucensque omnino dissolvit, quod nos *collodium* appellamus.

Hoc, philtantium vasorum serie parata, in aliud post aliud, ad purgandum, deduxit, ut a reliquis praecipue pristini gossypii fibrillis, quae nec satis adhuc maceratae forte superfluerent, expoliaretur; ac tandem in magnum feruum tubum immisit.

Ex eo minoris diametri fistulas undique derivabantur in cuspidem paulatim attenuatae ad vitreum usque capillum, invisibili foramine terebratum.

Inde reserato metallico ostiolo tenuissimum prosilu' colloidii hilum, quod, aeris contactu, aethere ac alcool exemplo vaporatis, rigidum solidumque factum, simulque volente rota captum ac involutum est.

At, « in cauda venenum »; hili namque

mataxa, quam tanta arte confectam ostendimus, non inflammabilis tantum quam et ad explodendum paratissima est, quippe quae non nisi fulmineo parta gossypio.

Itaque, in solutum ammonii sulphur statim demergitur, qua lotione acidum omne nitricum amittit, tandemque, ut tute iterum iterumque expoliri, colorari, texique possit, in praesto est.

Serica igitur hoc ritu confecta, non alias ferme quam si ex bombycina essent lanugine texta, nitent ac splendescunt, variatissimis coloribus pinguntur, molliaque tactu sunt ac flexilia: sed, hoc uno superat artificium natura, citius aliquantulum usu teruntur.

Inde inter pannos quos vilioribus sericis vel gossypio ordiuntur, quique praecipue in sericas taenias postea dividuntur, ut splendorem tribuant, plerumque admiscerentur.

Attamen maxima iam opera ac sumptu ad huiusmodi serica conficienda, officinae a Gallico quodam collegio, prope Bisuntinam urbem, statutae sunt, opificibus sat's stipatae, eiusque confectio commercium magis in dies augentur.


Equae vero tot inventorum tantique moliminis causae? Una sane praecipua, nec ab ea quam tot abhinc saeculis Plinius innuerat longe profecto absona, qui, de Serium villis loquens, haec festive at non sine subtilitate adnotavit (VI, 17, 20): « Tam multiplice opere, tam longinquor orbe petitur, ut in publico matrona translucet ». LAELIUS.

PETRUS PARENZO

VIS illa furialis, quae tota nunc est ad eversiō
nem societatis humanae, ad subruendas resp
ublicas, ad internectionem omnium qui praesint, cui
duo sunt hostes: Deus et Pax, nec recens, nec
ignota habenda est. Quin imo (si recta scrutemur
et vera sequamur) emicat coram nobis ab ipso ho
minum exordio tetrica et sanguinolenta eius his
toria, quae hactenus oculos plurimorum praeterit
hac una de causa, quod magis fuere coram agentes,
quam causa ad agendum impellens, et illata funera
potius adscripta sunt dentibus, quam veneno quo
dentes imbuebantur.

Quae omnia aquilina acie Augustinus pererrans,
librum edidit mirabilem de civitatibus duabus, Dei,
scilicet, ac Belial, ad quem lectores nostros, si quis
amor tangat rem a fundamentis cognoscere, dele
gamus.

Nil mirum igitur si nefaria vis haec nascenti ad
sequatur.



"Aquaee salviae" ad Romam.

versata sit Christianismo manibus, lacertisque, ut ita dicam, ambobus; una quippe manu vincula, pugiones, ignem ac tormenta quaeque inferebat, altera dolos, astus, nefaria quaeque moribus atque dogmatis haeretica pravitate versabat; vastabatque vienam Domini Sabaoth ferro detruncans, pedibus proterens, et si quis ager esset, quem non valeret subvertere, superserebat zizania et lolium, quo vel inficerentur aristae, vel frumenta ipso in germine exterminarentur.

Hinc illa acerrima christiana religio pugna cum Gnosticis ipso a primo saeculo Christi, qua feliciter pugnata, stravit argumentis devictos, non tamen funditus exterminavit.

Numquid ea memorabimus portenta fidei, quibus praelia inter Ecclesiam et Imperium claruerunt? Quae et quanta ad miserorum levamen opera! Quae caritas! Quae actio! Atque haec omnia, superba monumenta aevi medii, templorum erectae moles testantur.

Tunc, veluti aurora diei praenuncia, municipia illa surrexerunt, quae iuvante Ecclesia et libertatem aequam legibus canente, bacchante per fas nefasque omne Caesarum licentiam represserunt. Haec *democratia christiana* nuncupanda est, cui, teste Aligherio, seraphicus Franciscus ille Assisinas ad instar solis illuxit.

Iure quidem; Redemptori Christo conformis factus novum vitae spiraculum efflavit in humana consortia, quae cupiditatibus partim, demagogicis partim artibus corrupta, nimium antiquae societatis idolatricae olebant, Gnosticis ipsis occulte satagentibus, et, nomine et veste mutatis, animo autem semper eodem, in impia quaeque conantibus; magnum si excussissent ab homine Deum et mores!; excidium humani generis mox futurum.

Tales apparent *Manichaei* illi, quos patarenos, quos *bizocis* placuit vocare; hostes quidem religionis et reipublicae, *socialistae* personati, *anarchici* sanguinolenti, quibus non ius proprietatis, non familia, non Deus, sed vaga Venus, licentia sentiendi, et aequum servire malo, vel bono; Deus utrumque.

Quid? Nihil sibi esse contra Ecclesiam aiebant, quam capite minuebant, iure possidendi negato, quam turpiter deformabant, mutatis pro lubitu dogmate, sacramentis et ritibus. Numquid enim idem ipse est, quem penitus diversum efficies intus et extra? Quid huic uni deest, ut idem sit, praeter omnia quae interius habeantur, et quae foris apparetant? Duo tantum: facies et substantia!

Patarenis ista inducentibus acerrime italicus populus repugnabat atque obsistebat, cavens in primis ne quid sua religiosa libertas detrimenti caperet, ullique serviret. Hinc patarenis perfugium ad dynastas, qui ab immanni illo praelio inter Ecclesiam et Imperium tortis oculis videbant populi potestatem in *democratia christiana* assurgere, Francisco Assisitate admittente.

Tunc nobiles illi ex maioribus urbibus et oppidis pulsi, in vicis villasque se receperunt, et vallo, muris turribusque se munierunt.

Hoc igitur anno 1899, has conditiones temporis septingentis ab annis revocare iuvat, quum eadem patarenorum opinio, quae olim, iterum fere omnium, sermone saltem, percrebrescit; dum incerti nutant gentium reges, rerumque publicarum duces, atque ipsi popularium curiarum viri quoad leges decernendas novas, quibus hoc immane periculum vel arceatur, vel removeatur, vel comprimatur. Neque novum et hoc; nam et hoc egit Ecclesia, quae iis, de quibus loqui sumus, annis, a concilio Viennensi

aequas malis leges postulavit et arma, quibus patarenorum audacia reprimetur.

Rebus autem ita se habentibus, nobilissima Thusciae ditionis civitas, Urbsvetus, Ecclesiae se spopondit, et, loco et munitionibus fere inexpugnabilis, Romanorum Pontificum arx et refugium videbatur. Magna inde urbi laus, magnum nomen, magna maiestas, ac bene de Ecclesia merita nuncupata.

Quid si arcem hanc patarenis occupassent? Discordibus eo tempore inter se populis, hisque, ex eadem civitate, imperio, hisque Ecclesiae studentibus atque faventibus, quotidiana rixae in viis, in plateis, in agris, et bellum fere domi quotidie. Hinc leges, hinc mores, hinc dissoluta ferme omnia; hinc nobiles Urbevetani quamplures, patarenis imbuti doctrinis, moribus assueti, omne nefas ausi, nihil sibi armis impossibile, nihil rati tam sanctum, quod non turpare, nihil tam munitum, quod non expugnare, vel vi, vel fraude possent.

Innocentius III indignans esse viros, qui in sua ditione latrocinentur, idque et sibi licere credent, et aliis impune id posse si facere viderentur, nobilissimo ex Parenzorum genere Petrum, proconsulari quadam praeditum potestate, ex Urbe demisit, qui Urbemveterem peteret, perniciem omnem aut averteret, aut extingueret, pacem populo, obsequium legibus compararet.

Fortissimum iuvenem, virili consilio, virili manu ad quaeque paratum obvii cives magno plausu, spe magna exceperunt, potestatem omnem nomine et re contulerunt, dominum conclamarunt.

Hic, iocis militaribus primum abrogatis, hisce enim a ludo ad vulnera et clades saepe item est, speciem omnem abstulit ea faciundi per ludos, quae composito odia civilia, et veras pugnas velabunt, circumferenda arma prohibuit. Sic ipso in limine parta quies, amotae caedes.

Nobiles tunc rem in odium suadere factam, incitare plebem, commovere sermonibus, quasi libertate pristina privarentur, et prima Quadragesimae die, coniuratione facta, arma capessere.

Turres et optimatum arces armorum plena, saxonum telorumque vis, sicariorumque satellitumque manus ibi parata, et repente ex condito super populum in viis frequenter omnia torquere. Inde excidium miserabile.

Non tulit haec Petrus, et, qua vi poterat, rebelles coepit; non tamen omnes poenas exigit; sed turres et arces aequavit solo, urbem tutam, et libera in potestate quietae gentis esse voluit.

Conati sunt iterum; tunc nulla venia concessa est, et, ipso suadente episcopo, ferro et igne coercuit, quos bona verba, indulgentia, et consilia pacis non coeruerant.

At, quos non exterminaverat, iterum nefaria molebantur, et passim voces, plene minarum et exterminii nunciae, in Petrum ferebantur, cui vel pugione, vel hasta, vel veneno pereundum.

Vir magnus, praesentiens mortem, Romam remeat benedictionem Pontificis vivus exorans; cui Pontifex forte obvius: « Ecquid, ait, Petre? Fecistine prout imperavimus? » « Feci, respondit, o Pater, et quia feci, quaeror ad mortem ». « Wade iam, inquit Innocentius, et viriliter pugnans locum tene, quem dedimus; nihil enim in te, praeter corpus, occidere poterunt ».

Parenzus igitur recto tramite domum pergit, testamentum condit, valedicit uxori in lacrimas effusae, et calendis Maiis Urbemveterem reddit.

Vigesimaprima mensis eiusdem die, tertia noctis hora, Petrum caligas solventem, ut cubitum iret,

plures ante cubiculi portam voces appellant. Sicariis et coniuratis Rodulphus domesticus aditum praebuerat; dynastae Bisentii, coniurationis principes, auro corruerant.

Tunc in Petrum procedentem, ut videret quae- rentes, satellites iniiciunt manus, coriacea fune guttur adstringunt, trahuntque nudum pedibus e palatio. Petenti sandalia nutibus, quippe obstrictus gutture loqui non poterat, Rodulphus proditor sua dedit. Coniurati optimates in tugurio quodam extra moenia exspectabant. Vix fuit coram, iusserunt, si in columnis esse vellet, eum revocare latae leges, restituere multas, et data a nobilibus pignora pro pace tuenda ac servanda, abdicare se magistratu, patarenos nec inquirere, nec expellere, nec vexare.

At Petrus pacato ore sic illis: « Multas et pi gnora reddam, sed mea pecunia, non ex aerario deponpta. Potestatem, et eius officia, et mandata iureiurando suscepit; non dimittam ».

Tunc impacto in faciem eius colapho, quo duo decidere dentes, malleo ferreo caput eius confrerunt.

De cuius interitu populus certior factus, cadaver magna solemnitate exceptit; pluraque prodiga per illud facta sunt.

Mors, pessima et ante diem, caedis auctores, et quotquot vel sanguine manus, vel prodione et coniuratione sontem sceleravere animam, abstulit.

Urbs in pace fuit, haud aliter ac si Petrus moriens tartaream ex illa regione magnanimo rorata sanguine Erynnium fugasset.

Martyr habitus acclamante populo et patronus urbis, septingentos post annos vivit adhuc in memoria gentium, quas docuit exemplo: eos et sancte vivere et fortiter mori, quibus reposita post mortem est spes vitae immortalis.

Nec minus decoris et famae, quam Regulus, Romanae urbi Petrus hic afferit, cuius commemorationem septies saecularem religio et patria pariter voluerunt insignem, sublimemque ritibus consecrarunt.

A. FUMI.

DE CONSISTORIO

Hoc designatus nomine locus est omnis, in quo venientes consistenter aliquid exspectantes, vel aliquem, coram quo starent; et, si vocis vim spectes, communis pluribus locus ipse habendus erat; sonat enim hoc *praepositio cum* verbo praefixa.

Consistorium autem, iuxta canonicum morem ac Ritualem, habetur in Clementina *de sentent. et re iudicata* (*Gloss. cap. 2*), ubi ita definitur: « Consistorium coadunatio sapientum est ad consulendum; uti Romae est coram Pontifice cardinalium pro tractandis Apostolicae Sedis negotiis ».

Aula igitur ad hoc habetur, parataeque per circuitum sedes, atque in medio thronus pro Pontifice ad parietem, ibique qui sedent de summis catholici orbis rebus ferunt quae sentiant.

Consensus ipse a loco sibi nomen fecit.

Regibus antiquissimis haec aula etiam fuit; legimus enim in Biblia Sacra (*Esther. c. V*): « Et stetit (*Esther*) in atrio domus regiae, quod erat interius, contra basilicam regis; at ille (*Assuerus*) sedebat super solium suum in *consistorio* palatii contra ostium domus ».

Tertullianus (*De resurrect. carn. c. XXIV*) *consistorium hominum universam terram appellat*; ho-

mines enim spectaculum

Sidonius cubiculares

Archadiu illud et aula

impfantis, in

in consiliis e

Apud Ius imperatorii le aulam vox il in nostrum in quaest. 6).

Sanctus B romani senato more Pontific presbyteros, Ecclesiae rebu

Tres autem publicum, sem side Papa, nov Sanctus epis addicuntur, siq novi cardinali niuntur lites, tra quae coram s imperator.

Adstat Pon tectusque capu adstabant olim bus vestibus et mismate magi consistorio sed cardinalium fre ad amussim rea verba in circu CONSTITORIUM .

« Ubi Petri locus, neque u sed Pontifex c ique insuper qu legimus in ipsa consistoria habu sini, quem aeg tribus; alia alibi

Solet deniq latina oratione ditiones, et qua obvenerint.

Numen ubi?...

Ille ubi, qui?

Impius ast oculis El quo se ver

Numen ubi?... I

Errorem meni

Consulat et spec

Artificis semel

Numen ubi?... I

Venti, amnes,

Cuncta Deum c

Credere si ne

es appellant. Sicariis
icis aditum praebue-
tionis principes, auro
em, ut videret quae-
coriacea fune guttur
pedibus e palatio.
obstrictus gutture
proditor sua dedit.
uodam extra moenia
sserunt, si incolumis
as leges, restituere
ora pro pace tuenda
ratu, patarenos nec
exare.

dis: « Multas et pi-
ja, non ex aerario
officia, et mandata
m».

s colapho, quo duo
caput eius confre-
ractus, cadaver
raque prodigia per-

caedis auctores, et
el prodione et con-
mam, abstulit.

er ac si Petrus mo-
magnanimo rorata

populo et patronus
vivit adhuc in me-
plo: eos et sancte
posita post mortem

quam Regulus, Ro-
us commemoratio-
patria pariter vo-
ibus consecrarunt.

A. FUMI.

RIO

est omnis, in quo
uid exspectantes,
et, si vocis vim
s ipse habendus
cun verbo pree-

nicum morem ac
de sentent. et re-
definitur: « Consi-
ad consulendum;
inalium pro tra-
».

tataeque per cir-
us pro Pontifice
summis catholici

fecit.

etiam fuit; le-
. V): « Et stetit
d erat interius,
uerus) sedebat
ii contra ostium

c. XXIV) con-
a appellat; ho-

mines enim coram Deo in ipsa consistunt, quasi
spectaculum facti mundo et angelis et hominibus.

Sidonius hoc designat nomine locum, in quo
cubiculares domestici requiescebant (lib. II, ep. 2).

Archadius et Honorius (Can. *Siquis*, 6, quaest. 1)
illud et aulam dicunt et secretum concilium supremi
imperantis, in quod viri acciantur insignes: « Qui
in consiliis et consistorio nostro intersunt ».

Apud Iustinianum denique non modo concilii
imperatorii locum, sed et ipsam iudicantis Augusti
aulam vox illa significat: « Si quando lis speratur
in nostrum inferri consistorium » (Can. *Anteriorum*, 2,
quaest. 6).

Sanctus Hieronymus consistorium vocat: *Clerici
romani senatum*, idemque: *Presbyterium*, quum in
more Pontificum esset congregare ad se summos
presbyteros, cardinales nempe, ut cum iis de summis
Ecclesiae rebus agerent.

Tres autem consistorii species enumerantur:
publicum, *semipublicum* et *secretum*, in iisque, praesi-
side Papa, novi decernuntur, quibus dederit Spiritus
Sanctus episcopis regere Ecclesiam Dei, sedibusque
addicuntur, siue vacuae sint toto in orbe terrarum;
novi cardinales nominantur; atque interdum defini-
nuntur lites, tributa excipiuntur, omnia denique fiunt,
quae coram senatu suo in propria ditione faceret
imperator.

Adstat Pontifex ac praeest indutus pluviali rubeo,
tectus caput mitra aurifrigata ac stellata gemmis;
adstant olim cardinales purpurati omnes solemnibus
vestibus et pileati, ut videre est in quadam nu-
mismate magno, in quo Paulus II ostenditur in
consistorio sedens, maxima assidentium circa patrum
cardinalium frequentia; cuius numismatis imaginem
ad amissum refert Macri (voc. *Cardinalis*), habetque
verba in circuitu: *SACRUM PUBLICUM APOSTOLICUM
CONSISTORIUM . PAULUS VENETUS PP. II.*

« Ubi Petrus, ibi Ecclesia »; atque ideo non
locus, neque urbs ad consistorium certa requiritur,
sed Pontifex congregans et cardinales congregati,
iisque insuper queis ius adstandi Pontifex dederit. Hinc
legimus in ipsa urbe Roma Pontificem Xystum IV
consistoria habuisse in aedibus cardinalis Latini Ur-
sini, quem aegrotantem invisit una cum eis par-
tribus; alia alibi.

Solet denique idem Papa in consistorio alloqui
latina oratione cardinales, qua exponit Ecclesiae con-
ditiones, et quae eidem sive adversa sive prospera
obvenerint.

H. DE VECCHI-PIERALICE.

NUMEN UBI?...

*Numen ubi?... Infirma quidam sic mente volutat:
Ille ubi, qui mundum temperet imperio?
Impius ast oculos caeca caligine purget,
Et quo se vertat, sentiet esse Deum.
Numen ubi?... In caelo stellis fulgentibus apto
Errorem mentis perlegat ipse suae.
Consulat et speculum, propriaque in imagine Summi
Artificis semet nobile noscat opus.
Numen ubi?... Hic aer spirabilis, aequora, tellus,
Venti, amnes, fontes, litora, prata, nemus,
Cuncta Deum clamant: cunctis tu denique crede,
Credere si nescis, mens male sana, tibi.*

A. BASILI.

CAROLUS NOCELLA

PATRIARCHATUS ANTIOCHENI TITULO DECORATUS

Vox URBIS merito plaudit et gratulatur, quod
sapientia Leonis XIII Pont. Max. latinitatis cul-
tores eximii praemiis honestentur amplissimis. Virum
enim ea laude in primis florentem Carolum Nocella,
cuius nuper editam hoc ipso in commentario vidimus
perelegantem gratulationem pro recuperata valetu-
dine Pontificis Maximi (1), incidente mentibus adhuc
nobilissimae ab eo confectae inscriptiones anno 1867
in funere militum pontifici et gallici exercitus qui
ad Nomentum occubuerant, patriarchatus Antiocheni
titulo et honore insigni decoravit.

Is ingenii elegantia, animi candore, morum sua-
vitatem adolescentibus carissimus, primum in Pont.
Seminario Romano latinis litteris tradendis praepo-
sus, tanta cum alumnorum utilitate eo munere
functus est, ut difficile sit enumerare quot viri
quanta pietate et doctrina ex eo ludo prodierint.
Annos sane multos in ea schola videtur trivisse
intuenti quanta diversos aetate noverim audidores.

Duobus deinde Pontificibus adiutor primum ab epi-
stolis latinis, deinde ab epistolis ad *Principes* se
praebuit in utroque munere adeo sollerter, ut diffi-
cillimus temporibus potuerit probari maxime. Nunc
vero gravis annis, quos pro Ecclesia functus mun-
eribus totos consumpsit, senior Collegii Praelatorum
Urbis, qui in romanis Congregationibus Apostolicae
Sedi operam praestent adhuc perutilem, a secretis
sacri Consistorii ea est auctor dignitate, qua neque
cogatur susceptam vitae rationem immutare, neque
prohibeatur quominus horis subsecivis, animis ad
pietatem provehendis, abluendisque pro tribunali
sordibus contentum, celebrare pergit asceterium
ad forum Pacis. Excipiat modo antiquus magister a
consenescentibus auditoribus omnia incolumis vitae
ac diuturnae, excitetque exemplo suo non tam praefi-
cium spem atque honorum ex studiis bonarum artium,
quam voluntatem illustrandi hanc urbem rerum ge-
renderum peritia, litterarum amore et praestantia
virtutis.

F. PELLEGRINI.

ANNALES

In Transvaal pericula - Conventus de pace non-
nulla - Arbitrales sententiae bis apud Ameri-
canos invocatae - Recensiones artium in Bel-
gica - Cretenses coniurationes - Ad fines
Bulgariae paelia - Bellum ad Philippinas -
Danorum festa - Ex aedibus Vaticanis.

C OLLOQUIUM quod in Bloemfontein urbe Krüger,
Transvaal reipublicae praeses, cum Alafido Mil-
ner, coloniae ad Africæ frontem gubernatore, habuit,
instaurandæ cum Anglia concordiae, nullius utilitatis
fuit. Erat enim contentio de iure suffragii ferendi,
quod quidem Transvaaliana res publica alienigenis
tunc tantum indulget cum se quartum iam supra de-
cimum annum in regione moratos esse probaverint.

Vix enim tria lustra sunt, ex quo primum auri-
ferae fodinae exploratae fuerunt, ad quarum the-
sauros lucrandos tot advenae ex anglica praecepit
finitima colonia in reipublicae terras sese contule-
runt. Hos igitur, ne civibus multitudine suffragiorum
principatum adimerent, rigidius in dies magi-
stratus invigilarunt, post ea praecepit, quae anglicanis
suationibus obediens Jameson doctor infelici conatu
contra reipublicae libertatem ausus est.

(1) Cfr. num. VI, ann. II.

Aliquid tamen Anglorum voluntati a popularibus
comitiis concessum videtur, lata nuperrime lege qua
alienigenis omnibus ius suffragii attribuitur; at ea-
dem arrepta occasione, praeses Krüger publice ac
solemniter declaravit se nihil externae cuvis reipu-
blicae concessurum, quod plenam suorum civium li-
bertatem minuere videatur.

*

Batavicus de pace conventus nulla mentione
digna protulit statuta; propositionibus enim Russi-
orum, circa armorum vim per aliquod tempus non
augendam frusta oblatis, propositam etiam de arbit-
ratru rogationem frusta evasuram praenunciant: qui
vero illi praecepit adversant Germani, sibi nullum
acceptum tribunal protestant, nisi a quovis partis
studio prorsus immune satis appareat, quod hodiernis
Europæ condicionibus ut obtineri possit difficile est.

Unus itaque tot laborum fructus hucusque vi-
detur, Genevensis illa anni 1864 pactio ad navales
etiam pugnas unanimitate extensa.

*

Interim vero ea est aequitatis vis, ut opposita
obstacula, nisi nimia hominum mala voluntate confir-
mentur, facile exsuperet; quod de arbitratu accidisse
videmus. In americana enim Argentina republica
foedus cum finitima Uruguay natione initum est po-
pularibus comitiis oblatum, ut in quavis discordia
ad arbitratum confugium habeatur. Nec satis: his enim
diebus arbitrorum tribunal Lutetiæ Parisiorum con-
venisse accepimus, ut de controversiis, circa regiones
quasdam prope Guyanae fines exortis, Angliam in-
ter ac Venezuela rempublicam sententiam dicat.

*

Est sane et aliud novorum temporum signum,
Albertum e regali domo Belgica, regni haeredem,
publicam artium recognitionem Gandavi lustrantem,
Vooruit etiam quae a socialistis communis que
publice exhibita sunt visitare voluisse; idque primum
accidisse notatum est, regni principem cum popu-
larissima factione publice communicasse.

*

Contra non eadem Turcarum animis remissio;
Creta enim ex insula rumor pervaserat, coniurationem
in Georgii e domo Graeca vitam ab infidelibus initam;
quam miro Dei consilio illum vitasse dicebant. Rem
vero aliquantulum leviorum fuisse ex hoc arguere li-
cet, quod unus tantum barbarus, cui Rachraki nomen,
arabicae potionis caupona, pulsus e patria fuerit.

*

In his autem graviora prope Bulgariae Serbie-
que fines acciderunt: die Iunii mensis decimaquarta,
noctis tempore, Turcarum atque Albanensium militum
copiae terminos violarunt, Serborumque stationem ad
Propatchitz aggressi sunt ac depopulati. Tunc ita-
que et ad Braina et Goubavtzi nova inita quotidie
praelia, quae circa deserti Sabanitza limina indesi-
nenter ab ea die vario exitu absolvuntur. At dum
milites pugnant, Austrorum legati sese pacis media-
tores exhibent, ut utraque pars bellicos ardores com-
pescant, milites suos contineant, atque ab armis
recedant; quod equidem turcis copiis suadere haud
facile est, quae, in perduelles Macedones armis in-
structae, convicia quodammodo exquirere videntur,
ut iis liceat in aliquem uti. Rem proxime bene ces-
suram speramus.

*

Bellum in Philippinis varia semper actum fortuna
perdurat, quae Americanis invasoribus non satis fa-
cilis hucusque arrisit. De Aguinaldi igitur, vel de
altero ex eius ducibus nece, multi hoc vel illuc ru-

mores vulgati sunt: certum tamen est, novas ex San-Francisco copias ad auxilium esse missas, neque tamen Otis supremo duci spem esse finem proxime bello imponendi.

★

Danorum selectus quamvis exiguis populus, die mensis Iunii quinta, quinquagesimam anniversariam memoriam a statutaria, quam dicunt, libertate sibi primum a rege Friderico VII concessa, solemnibus festis celebravit.

★

Ex aedibus Vaticanis aliae Pontificis literae ad eum Parisiensem archiepiscopum missae sunt, quae catholicos Gallorum cives ad concordiam et ad reipublicae fidem iterum hortantur. Interea die Iunii mensis XIX secretum primo consistorium, ac deinde die XXII publicum est celebratum, novique enim cardinales creati sunt: 1. Joannes Baptista Casali Del Drago, patriarcha Constantinopolitanus; 2. Franciscus De Paula Cassetta, patriarcha Antiochenus, vice sacra antistes alter Urbis; 3. Ianuarius Portanova, archiepiscopus Reginensis; 4. Iosephus Francica Nava Di Bontifè, archiepiscopus Cataniensis, in Hispania nuntius apostolicus; 5. Augustinus Ciasca, sodalis Augustinianus, archiepiscopus titularis Larissensis, adiutor sacri Consilii christiano nominis propagando; 6. Franciscus Desideratus Mathieu, archiepiscopus Tolosanus; 7. Petrus Respighi, archiepiscopus Ferrarensis; 8. Augustinus Richelmy, archiepiscopus Taurinensis; 9. Iacobus Missia, archiepiscopus Goritiensis; 10. Aloysius Trombetta, adiutor sacri Consilii episcoporum atque Ordinum religiosorum negotiis praepositi; 11. Iosephus Calasantius Vives, sodalis Franciscalis capulatus.

Praeter hos, Summus Pontifex se in Patrum Cardinalium collegium allegisse praestantes alios viros duos declaravit, eos tamen in pectore reservasse; atque insuper plures archiepiscopos et episcopos elegit. Inter vero publici consistorii solemnia Philippus Pacelli, consistorialis aulae advocatus, causam beatificationis V. S. D. Gabrielis a Virgine Dolorosa ex congregazione CC. RR. a Cruce et Passione D. N. I. C. primum peroravit.

POPULICOLA.

PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS

In Anglia coetus optimatum donum Sirdar Kitchener victoriae pretio tribuendum ad 30 000 libellarum constituit. In municipum autem coetu colloquia in Transvaal inita infelices exitus habuisse relatum est. Nonnulla insuper, uti assolet, de Russorum agendi ratione in Sinensium imperio conquesti sunt Angli, praecipue quod in Mancuria provincia iam ad centum millia militum Russi colegerint; verum cum haec minime impidire ille valeant, querelae oratorum frustra insonuerunt.

In Austria pactio tandem cum Hungaria renovata feliciter est; quae vero de commerciis ad exteriores erant constituenda, in annum 1903 dilata sunt (1).

(1) De Hungaria, nuncium ex commentario illo, qui Romae peculiariter est ad coetus recensendos, de promptum dedimus, eminentissimum archiepiscopum suo suffragio ad legem accessisse de cleri immixtionibus ab electionibus arcendis. Porro R. P. D. Samuel Hetey, Quinque-Ecclesiastum (vulgo Tunskirchen) dioeceseos episcopus, nos certiores fecit, contra, in eamdem legis regulationem eminentissimum virum toto animo fulgenti sermone decertasse, atque, una cum universo episcoporum choro, suffragis legi intercessisse. Quae cum libenti animo referimus, clavis socio tam nostri sollicito grates habemus.

V. U.

In Batavia rogatio coram oratoribus populi approbata fuit qua prohibitum est, ne quis in posterum, pecunia, alium sibi sufficiens, militiam effugeret. Alia vero rogatio de vectigali contra exterorum frumentum constitudo rejecta est.

In Belgica, post summam expensarum ad agricolas aediliciasque res approbatam, lex de cautionibus quibusdam patronis in operariorum tutelam imponendis expenditur.

In Bulgaria prolatae ab administris de argentiariis domibus ac de ferreis itineribus rogationes favorabilia suffragia habuere. Rizob oratorem populi irrite electum, cum furtim in aulam ingressus esset, militari manu ab ea depellere necesse fuit.

In Gallia summus reipublicae praeses multos ad novum tradendum gubernii mandatum advocavit, at frustra: tandem Waldeck-Rousseau, vir ex senatorum ordine, bis oblatum sibi munus suscepit et explevit.

In Germania, imperii summum concilium Berolinum coram imperatore convenerat, ut de canali inter Rhenum Ilvamque flumen effodendo quid agendum esset constituere. At repente, immutatis opinionibus, de canalis effossione studium ad Borussorum conventum iterum est delatum.

In Iberia recognitio mandati popularis cuiusdam oratoris Moraya nomen, qui perditae massonum sectae adhaerens eam in Philippinis constituerat, quae perduellionis prima vis fuit, acres obiurgationes excitavit, itemque ob iurgia quaedam ab Almeda in duces militum iactata accidit: utraque vero absque fructu evanuerunt. Maximi insuper fuit momenti oratio a Villaverde, aerarii administristro, habita, qua coloniarum aës alienum Iberis solendum, et nova constituenda tributa in metalla, in nicotianam foliam, in alia multa nunciavit.

In Italia apud senatores rogatio ad tuendas et conservandas Venetum lacunas perpensa est atque probata. Eamdem sortem expertae sunt lex de meliorandis agris, geminaeque de municipalibus coetibus dissolvendis.

In comitiis popularibus vero, dum rogarunt administris de civilibus cautionibus contra licentiam statuendis, constanti obstructione, uti aiunt, ac prolixis sermonibus qui ad extremam aulae laevam sedent, morati sunt. Quo factum est, ut administrorum concilium rogationem per regis decretum probandam curaverit.

Summae interim singularium expensarum aerarii, de bellicis primis, deinde de navalibus rebus, perpensa sunt.

In Lusitania coetus optimatum legem ad exercitus instaurandos emisit.

In Peruviana republica Romana, vir ingenio ac moribus illustris, ut gubernio praesit ab utroque comitio electus est.

In Rumania, collatis ad eligendos populi oratores suffragiis, conservatorum, quam dicunt, factio longe victrix et certamine discessit.

SCRIBA.

LIBRORUM RECENSIO

L. DE MONTLUC (*Monteluccius*). *La neutralité à l'occasion de la guerre Hispano-Américaine* - Neumausi, ex officina Gignoux, 1898. — Qui commentarium nostrum assidua lectione persequuntur, clarum scriptorem de publico inter nationes iure disserentem non semel admirati sunt: nulli igitur mirum, si opus hoc perspectae iam famae novam laudem addidisse asseruero. Neutralitatis iure acute definito, de eius denunciatione, de obligationibus quae sequuntur, de illicito bellicarum rerum commercio multa copiose disseruntur; post que recentis belli indicatio narratur, atque Cuba insulae obsidio, multaque ad huiusmodi rem pertinentia adnotantur. Ballistariorum insuper leges vicesque, oppugnationis Cavite et Santiago urbium arrepta occasione, multa doctrina pertractantur, pactaque pax ad examen revocatur; denique, debitibus laudibus de fideli iurium belli observantia utrique bellantium tributis, monita haud minus iusta Americanorum reipublicae diriguntur, ne libertatem illam, cuius causa bellum inicit, nimia lucri cupiditate, promissorum oblitera, conculceret.

Versatissimi in re publica Florentini viri **Nicolai Machiavelli sententiae** ex omnibus eius operibus iam anno 1771 depromptae sunt, ac plures editae; ex quibus litteris doctus et magister C. DEHO centum et sexaginta selegit ad vitae usum accommodatas, exque italicis in latinum sermonem vertit. Mirum quantum hoc opusculum omnibus probatum fuerit; iure vero meritoque; quippe quod et de auctoris cogitatis delectus, et operis partitio et incorrupta latini sermonis integritas plurimum commendaverint. Hinc factum est, ut novam editionem comparare necesse fuerit, cui, Arimini in lucem prolatae, « limae labor et mora » decus addidere Iuvenibus praesertim nos, ut libellum, aureum profecto, legant, suademus; ex quo tum Machiavelli itali nostri genus dicendi sobrium et perspicuum, atque reconditam et exquisitam mente percipient, tum bonum latino eloquio reddendi cogitationes et italicis verba exemplar sibi proponent.

Precationem illam **Reginae Margaritae Sabaudiae** ad Virginem Dei Matrem quam latinis versibus expressam hoc ipso in commentario (ann. II, num. I) edidit I. B. Gandinus, nunc D. A. VOLATERRANIUS versibus graecis reddidit; graviter et is, eleganter, praecclare. Vulgavit Florentiae officina Galasantiana.

Ex proelis Philippi Cuggiani, Romae, prodit novum L. DUCHESNE, antiquitatis studio atque doctrina viri praestantissimi, opus cui titulus: *Le Forum Chrétien*; de quo, spatio deficiente, peculiariter, uti par est, proxime erimus scripturi.

I. F.

AENIGMATA

I.

Cum furiunt imbræ *prior* horret et anxius haeret. Scinditur at nubes, refracta en lumina solis: Nunc *alter* rutilat, nunc en ridere *priorem*. *Totus* rex vixit; moriens est bestia factus; Nomine mutato, divinos sumpsit honores.

II.

Altera pars numerus. Protinus discede, viator; Hic patet atra *prior*: nam quidquid constat *ultraque* Est nocuum (tellus, lympha, aë) pestiferumque.

DIGAMMA.

Ex sociis qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet opus gallice scriptum et figuris ornatum, cui titulus:

LES MERVEILLES DU CIEL ÉTOILÉ
ET LES PROFONDEURS DE L'INFINI
par L. M. PIOGER.

Aenigmata ann. II, n. IX proposita his respondent:

1. *Casta-lia.* 2. *Multi-tu-do.*

Ea rite soluta miserunt:

Ed. Bianco; Fr. Xav. Reuss, Roma - R. Magenta; Abr. Morchio, Genua - Andr. Piotto, Malo - Guil. Schenz, Ratisbona in Bavaria - Nic. Stella, Auxano - Ad. Artioli, Ferraria - I. I. Dunne, Dublino - Io. C. Reville, Lorimier; Ioan. D. Falconbridge, Toronto, in Canada - A. Narquet, Monteloco in Gallia - Quintinus Friulanorum, ex sem. episc. Cupersani - Pasch. Pellegrini, Neapolis - Ver. Cariolato, Vicentia - Partholan Fitz Randie, Brooklyn in civit. foed. Americae sept. - E. Frachetti, Mangalore, in Indis - Al. Cappelli, Sena - Ad. Huza, Grybow in Galicia - Principal Gordon, Mancano - Ioan. Sobczynski, Wloclawek, in Polonia.

Sortitus est praemium:

QUINTINUS FRIULANORUM,

ad quem missum est opus, cui titulus:

LA COMMEDIA
DI DANTE ALIGHIERI
riveduta nel testo dal prof. G. POLETTI.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE - Ex Officina Forzani et Socii.

PER ORBEM

Fateor libenter, humani lectores, numquam ex quo haec itinera primum aggressus sum tanta calamitatum luctuosa messe domum me fuisse reversum, terra marique infestantum, ut incolumi capite me evasisse adhuc Superis gratias iterem. Primum enim americana occidentis litora nimio solis aestu coactus reliqui, qui si tantus iam fuit, canicularibus diebus quantus erit nec conjectare quidem mens audet. Neo-Eboraco enim in urbe, die huius mensis Iunii octava, sexdecim viri, fulmineo veluti solis ictu post tantas flammis percusi, mortui in via procubuerunt.



Quorum vero exigua ac veluti nulla clades est, si cum iis comparetur quas horridae undique excitatae tempestates admiserunt. Sic ex Texas provincia nuncii delati sunt, terrilibus procellis tumentia flumina late undique ripas inundasse, domos diruisse, viros ad quinquaginta interfecisse. Eadem fere in civitatibus Austin, S. Saba, Mardville, in regionibus Wisconsin et Minnesota, et in civitate New Richmond evenere, quam immo elementorum furore quasi deletam fuisse ac centum et quinquaginta incolas nece amississe novimus. Tandem die mensis xv Erman urbem atra procella vastavit.



Haec omnia tamen quasi nugae habenda videntur, cum Iberorum sors expendatur; quibus, uti videtur, nec pessima belli fortuna, neque ci-vilium discordiarum pericula satis aerumnarum adhuc comparaverunt. Madritum, die mensis decima, eiusque suburbia atrae per caelos nubes repente cooperuerunt, quibus exemplo fractis, pluvia ad torrentis instar, grando vehementissima, tonitrua, fulgura, fulmina in domus cumulatim iacta sunt. Regalem foemina, quae regno praest, eiusque nobilem comitatum, dum recreationis causa per agros deambulant, furens procolla corripit cogitque ut in currus iterum concenderent, seseque citissime in regales aedes reciperent. Eadem interdum caeli rabies S. Pedro de Alarce oppidum in Valdoleti provincia penitus perdidit, quinquaginta supra centum domos diruit, virosque complurimos necavit.



Haec in terrae facie; sed quae abditae fodinarum latebrae viderunt haud minus miseranda sunt. Nam Bockenheim in Austria igneus aëris, ex fracta pariete repente prosiliens, quinque opificum anhelitus venenosus efflatu oppressit, interfecitque: at graviora ex Nova-Caledonia prope Cap Breton, ubi, diruta repente fodinarum saxa, sexaginta supra centum ad effusionem incumbentes intercluserunt atque occiderunt.



Interea meridionalis Americae reipublicae Argentinae horrendas neces barbarorum efferrata manus intulit, qui quinque millia et amplius numero, cum Moscari et Mollepuca et Cerque regiones pervasissent, incolas ubique necarunt domosque depopulati sunt; captivos vero, quod nefandissimum est, vel spirantes adhuc vel igni adustos escae modo vorarunt.



Incendia ex Ottensheim oppido in Austria, cuius domus omnes absumptae fuere, exque Lutetii nunciata sunt gravissima; postremum vero hoc aromatum quidam caupo ad Batignolles expertus est, et superveniente explosione mortui

homines duo, undecim vulnerati. Huic vero fragori, alia ex Russia ballistae cuiusdam explosio respondit, quae inter milites prosliens, duces duos, gregarios tres interfecit, quinque sauciavit.



Verum inter militares aerumnas horrendam prae omnibus puto quae nobis prope vidisse contigit. In monte, cui Mario vulgo nomen, haud procul ab urbe Roma, nonnulli convenerant milites, ut aereostatum exercitationibus assuetis vacantem funibus continerent, quum repente ventorum vi, fractis vinculis, ex eorum manibus globus avolavit et militem quemdam, funi, uti videtur, nimis adhaerentem, pendulum secum ad maximam altitudinem abripuit; qui tandem fessis viribus, funem linquens, in solum veluti iactus lapis corruit, ac fractus omnino est. Aeronautae, qui naviculam concenderant, post multa superata pericula, delabente tandem globo, incolumes terram attigerunt.



Neque aequorei nautae faustiora sortiti sunt: fata haec enim memorata satis sint, in Pasman Dalmatico fretu Pelagus navigium Ioannam navem fregisse ac in aquam demersisse, ita ut vix nautae sospitari potuerint; similiaque in Danorum litoribus intra Blucher ac Poelitz navigia accidisse, quorum postremum fluctus una cum plesisque viatoribus obruerunt.



At contra, urinatorum, qui in maris latebris suo mercimonio vacant, iucundiores eventus fuerunt.

In Ponto enim Euxino prope Tschesmè, ubi reliquia Turcarum classis anno 1770 ibi profigatae sub aquis manent, urinatores plures, infidelium imperatoris iussu, in aquam sese demerserunt. Ecquis vero nunc vobis enarrat quot au-reorum argenteorumve, gemmarum pretiosarumque rerum omnium acervi reperti sint? Unum vobis dicam, post primum tot nummorum onus quod urinatores illi felices Bisantium detulerunt, bis centum septuaginta sex millium libellarum partem illis suisse adjudicatam.

Sint igitur Superis gratiae, quod, post tot male perductas peregrinationes, locum tandem dulci quieti propitiū invenerimus... imum mari fundum, ubi inter tot divitarum splendores, ab aerumnis et gentium pravitate quam maxime remoti, reliquam liceat beatam traducere vitam.

VIATOR.

V A R I A

Singularis mox edetur tessera emenda et imponenda scriptis, quae columbis, quas dicam epistoliferas, ferenda dabuntur; filatelicis gaudium ingens. Est insula Great Barrier Island, millenis millibus passum ab Nova Zelandia, cui nullum epistolare commercium cum insulis Arcipelagi. Hoc modo id columbis epistoliferas creditur, nuntiaeque vectoresque abibunt. Epistolae creditae ut abeant, ut ferantur tessera munidiae sunt, quae imaginem columbae ostendet porrectis supinis que' alis rostro gerentis epistolam.

Erunt in vertice tesserae verba « Great Barrier Island »; in imo « Special Post ». Utrinque autem quadam latera « One Shilling »; hoc tesserae pretium.

Mille tantum et octingentae huiusmodi tesserae primum praelo vulgabuntur.

* Deambulatio per aquas.

Mira nuper inventis omnibus iam quaevis aequamus; nunciatur namque ex Baretio inter Langobardorum fines oppido, typographum quemdam, cui Victor Giani nomen, multis spectantibus, calceamentis quibusdam a se inventis fictisque instructum, a Schirana per Larri lacus undas fuisse profectum, eas media circiter hora in longitudinem omnem usque ad Galliate oppidum transisse, atque iterum ad profectio's litus pari tempore, inter civium ovationes, reversum esse.

* Ferrumne ex paleis?

Ridicula plane haec sententia, quasi physicum quid impossibile ostendere videatur.

At « nihil mortalibus arduum est ». Apud Iaponenses enim paleis constrictis, atque insertis et consertis, conficiunt soleae, quas ferreas nos ungulis equorum nostrorum clavis affigimus.

Praeterquamquod minimo pretio venales habentur (vix enim dimidio obolo singulae emuntur), utilia quamplurima ferunt, nam et solo, quamvis siliceo et marmoreo et gelido et laevigato, haerent, et absunt a periculo vel comprehendendi nimium duritie ferrea pedes, vel vulnerandi, clavis pungentibus, equorum extrema, vel candelandi nimia cursus confractione per saxa.

Curnam et hoc in usum non inducimus?



Londinenses in Britannia.

Londinum quinque et quinquaginta centena hominum millia, descriptione novissima, incolere narrantur. Quotidianus autem numerus adventantium, sive negotia, sive curiositas, sive otia voluptaria illuc acciunt, ad hominum centum viginti millia iure censemur. Quotidie igitur civitas in civitatem influit, et « mare non redundat... »

Proh solitaria in montibus oppida, quae vix unum, integro quovis mense expectantia, advenam conspiciunt!

* Medici Lutetii Parisiorum.

Medicorum phalanx Parisiis Macedonicam Philippi regis phalangem, sexdecim virorum constantem millibus, non aequat modo, sed superat; recentior enim census 1773 huiusmodi numerat, ibique omnes medicinam facientes. Tunc totidem ut occidenter in Graecia, nunc totidem ut sanent aut medeantur in Gallia, immo in principe tantum urbe! Dicite versos in melius mores, et humani generis cultui plaudite!

At, si medicorum phalanx, et morborum exercitus; nam iis ad minus centum septuaginta aegrotorum millia necessaria sunt, ne fame pereant.



I o c i.

Incidit in foveam aliis paratam!

Praemio donandis pueris villicorum dynastes cum parocho, syndico, magistro et reliquis solemnis aderat. Papinus ad praemium in arithmeticā vocatur. Dynastes huic: « Ante numisma periculum de te faciam. Quot fratres habes? » - « Octo ». - « Quot frater tuus alter? » - « Octo ». - « Quot tertius? » - « Octo ». Sic ventum est ad anniculum. « Cumulatis », inquit vir, « tot numeris, habere te dicis 64 fratres; addito te, 65 estis. Mentiris ».

Tum puer: « Et tu, domine mi, quot fratres habes? » « Nullum », ait dynastes. Urget puer: « Et frater nullus quot fratres habet? » - « Nullum ». - « Ergo tu nullus es!... »

Dynastes et reliqui adhuc attoniti!


P. d. V.

T. G. FRATRUM PARISI Candelarum ad Sacra Opificium praemiis insigne

AB ANNO 1829 CONSTITUTUM



* ROMAE in ITALIA *



In Foro Campi Martii, 6



Singulis in artium recognitionibus publice habitis
maxima relata munera.

Leo PP. XIII honores addidit

Lateranensi Archibasilicae, itemque Vaticanae, quoties de Beatificatione aut de Canonizatione solempne sit, suppeditat.



Nullo impendio iubentium res in proximiorem a potentibus designatum portum defertur.

Gratuito pariter, quae mittuntur, arca asservantur.

Cuivis quaerenti explicatio erit uberior.



LEONE XIII 1893

Praecipua Templia cereis instruit ubique terrarum. In Asiam, Africam et urbem Constantiopolim mittit ingentia rerum huiusmodi pondera, pretio *francs* 180 pro singulis 100 Chilogramm.

Si vero ab America aut ab Australia petantur onera (300 Chilogramm. *ad minimum*), pretium erit *francs* 200 pro 100 Chilogramm.



FIGURAE URBIS ROMAE
ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE
COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO
Veneunt apud comm. VOX URBIS Administrationem.

URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS
(m. 1.10 × 0.24)

qui ad socios commentarii VOX URBIS dono datur,
venit singillatim L. 2.50

apud comm. VOX URBIS Administrationem.

SI QVIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA
EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

PHILIPPUS VITI EQUES
MARMORARIUS
ROMAE — Via Alessandrina, N. 51 e 52 — ROMAE

AFFABRE SCULPIT QUAE SUNT
AD SIMULACRA, ALTARIA, SACELLA
AEDICULAS

uti patet ex operibus erectis ac refectis
in Basilica Lateranensi,
Liberiana, Laurentiana extra muros, Transtiberina,
Eudoxiana, etc.

VOX URBIS
DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS
ROMAE — Via Alessandrina, 87 — ROMAE

MONITUM

*Eorum omnium, qui in posterum inter
commentarii socios recenseri volent, sub-
notatio fieri potest ab hisce kalendis Iu-
liis.*

LE LAUDI LATINE
E
IL CANTICO DEL SOLE
DI
SAN FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncula, 1897

Hoc libello praeter venustam praefatiunculam a Paulo Sabatier viro rei longe peritissimo conscriptam, continentur *laudes latine* cum interpretatione italica, *Canticum Solis*, necnon illa *Speculi perfectionis* capita, quae *Cantici* originem exponunt, aliaque permulta. Libellum, quem proxime ali subsequentur ad parvam *Bibliothecam Franciscanam* comparandam, *Iulius Salvadori*, litteris tradendis doctor egregius, maxima edit cura. Romae apud commentarii *Vox Urbis* Administrationem venit L. 0.50, in pauperum levamen.

Desclée, Lefebvre & Soc.

LIBRERIA CATTOLICA INTERNAZIONALE

ROMAE - Via S. Chiara, 20-21 - ROMAE

H. GRISAR S. I.

STORIA DI ROMA E DEI PAPI NEL MEDIO EVO

TRADUZIONE DAL TEDESCO

Parte I: ROMA SUL FINIRE DEL MONDO ANTICO

Tria volumina, in-8 magno, Lib. 20.

Edita sunt duo prima volumina. Quamprimum tertium vulgabitur.

Ciapponi Franciscus et Soc.

OFFICINA
ANAGLYPTIS, GEMMIS CONCHISQUE CAELANDIS

PRAESERTIM IN REDDENDIS FIGURIS
PHOTOGRAPHICE EXPRESSIS

TEMPERANTIA IN PRETIO - DILIGENTIA IN OPERE

ROMAE - Via Sistina, 129 - ROMAE